

Biogr. er. D.

2511st

3134

1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900

6
1127

VITA BEATI IOANNIS

Episcopi quondam Con-
stantinopolitani,
dicti

CHRYSOSTOMI, inter Patres Orientalis Ec- clesiæ celeberrimi,

Cum Specimine Doctrinæ ex
scriptis eius, ex Palladio, Historia Tri-
partita & aliis fide dignis Autoribus
collecta.

1433


Rept



Typis Orphanotrophii Glaucha-
Hallensis,

Anno M D C C II.

122, 1177



A & Ω.

VITA
BEATI IOANNIS
CHRYSOSTOMI

CAP. I.

DE

INGENIO, STUDIIS
ET MORIBVS EIVS IN
IUVVENTVTE.

§. I.

Vitam B. Ioannis Chrysoſtomi
utiliter conſideraturis illud
initio præmittendum, quod
ait Pſaltes: ὅτι ἐθαυμάσωσε
Κύριος τὸν ὄσιον αὐτοῦ. *Admira-*
bilem fecit DOMINVS ſanctum ſuum. Et ali-
bi: *Sicut prodigium factus ſum multis.* Solet
enim DEVS a teneris ſæpius mirabiliter
ducere, regere, protegere, deprimere &
euehere eos, quos vult aliis tanquam
Φωσῆρας, *luminaria in Mundo prælucere;* So-
let eos multis periculis & aduerſitatibus
exponere, & miraculoſe tueri, vt eorum

Pſal. 4, 4.

Pſal. 71, 7.

A 2

dona,

dona, dogmata, facta, & exempla tanto magis Mundo conspicua, & posteris grata & accepta reddat. Docent id Exempla omnium fere sanctorum in sacris Scripturis Veteris & Noui Testamenti, tanquam *stella primæ magnitudinis* in firmamento Ecclesiæ lucentia. Quibus non immerito accensenda sunt exempla piorum post tempora Apostolorum Ecclesiæ Antistitum, & Virorum doctorum, de Ecclesia optime meritorum, primis & postremis Ecclesiæ temporibus, licet non sint stellis primæ magnitudinis æquiparanda, locum tamen aliarum stellarum minoris dignitatis suppleant, eo quod sanctos in S. Scriptura imitari studuerint. Atque in hoc sanctorum choro locum suum quoque habuisse Chrysostrum, ex mirabili ductu Prouidentia diuinæ cognoscemus. Quem si attenderimus, multa cum voluptate & utilitate eius Historiam legemus, ipsumq; diligentem Apostoli Pauli (quem multis encomiis maectat) Interpretem & imitatore, & Martyrem pene incruentum fuisse deprehendemus.

§. 2. Natus est *Antiochia*, in Metropoli Syriæ, eo tempore adhuc florente ædificiis & diuitiis, Viris strenuis, nobilibus, doctis, per totum Imperium Romanum fama super cæteros notis; Ciuibus partim adhuc superstitioni veteri Gentilium deditis, suosque ludos, quos ibi a
pluri-

pluribus seculis habuerant, & reliquos mores retinentibus; partim Religionem Christianam amplexis, & profesfis, quæ tamen Episcopis vigilantibus, & reliquis Ecclesiæ membris in vero Christianismo proficientibus, eo tempore persecutiones priorum seculorum eluctata, subinde maiora incrementa capiebat. Natus est Anno post natum Christum 354. sedente in Episcopatu, vel potius exulante *Meletio*, qui ad eum promotus, rursusq; remotus est ab Arianis, Antiochenam Ecclesiam, Eustathio in exilium pulso, occupantibus & valde turbantibus. Rediit tamen ad thronum Episcopalem postea Meletius, populo anitente restitutus, & obiit A. C. 381. successorem habens *Flavianum*, contra quem pars aduersa elegit *Paulinum*. Meminit Meletii Antiocheni quoque Athanasius, eius scripta & orthodoxiam laudans. Natus inquam est Chrysofomus imperante Constantinopoli *Constantio* Augusto, *Constantini* M. Filio, qui Patris vestigia sequens Ecclesiam Christi dilexit quidem & eius amplificationem quæsiuit, Idola & Sacra Gentilium abominanda destruere pergens, sed *Athanasio* parum fauens, eumque sede Alexandrina pellens. Anno, quo natus est Chrysofomus, *Gallus*, quem Constantius Cæsarem adoptauerat, ob tyrannidem occisus, & *Iulianus*, postea Apostata, Athenis studiorum causa, cum *Basilio*,

filio, (postea ob Eruditionem, & dona atque res in Ecclesia gestas dicto Magno,) & *Gregorio Nazianzeno*, commemoratus est. Pacatior itaque erat tunc quidem Status Ecclesiae, quam antea, sed adhuc valde afflictus, quoad faciem externam, propter disfidia, sectas, Haereses, furores & persecutiones Arianorum. Vnde manifestum est, sicut omni, ita & illo tempore impletum esse illud Apostoli: *Oportet etiam haereses inter vos esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.* I. Cor. II, 19.

§. 3. Parentes habuit lautioris Conditionis in Mundo inter ciues Antiochenos. Pater fuit *Secundus*, vir strenuus & diues, militaris cuiusdam dignitatis, *στρατηγος*, siue Praefectus militum aliquis, in exercitu Caesareo Syriaco. Mater *Anthusa*, splendidis & opulentis parentibus nata, Antiochiae. Ambo Gentiles primum, sed postea Christiani facti, cum filio suo Ioanne baptizati ab Episcopo Meletio. Sed hic statim a teneris apparet admirabilis ductus diuinæ Prouidentiae. Pater paulo post natum & baptizatum filium mortuus est. Mater vidua, admodum iuuenis, vix vigesimum aetatis annum egressa, mansit in cœlibatu, caste & pie viuens. Nec solum rebus familiae (quas habuit amplas, multis famulis, amicis & Procuratoribus indigens) bene praefuit, sed & honestae educationis curam in se suscepit, Filium non

non

non ſolum tradens optimis in Ciuitate Informatoribus, literis humanioribus & moribus elegantioribus imbuendum; (Inter quos tunc florebat Antiochiæ *Libanius*, Ethnicorum philoſophorum non ſolum acutiſſimus, & Orator celeberrimus, ſed & in Imperio Romano Vir magnæ Autoritatis, qui tempore Iuliani Apoſtatae cum *Maximo* philoſopho Rempublicam adminiſtrabat;) Verum etiam de ſuis bonis ſumptus ſuppeditans, vt filio patrimonium integrum, atque hæreditatem optimam relinqueret. Sic tanquam Matrona chriſtiana, & Mater proba, omnes officii partes implere voluit, DEVM rite colens, familiæ & liberis bene proſpiciens, filio nempe & filiæ. Nam habuit Chryſoſtomus ſororem germanam, natu maiorem, vt refert Palladius, ad quam aduſtior factus ſcripſit, cum matrimonio parum felici illa premeretur. Mala, quæ nos premunt, ad DEVM ire compeſcunt.

§. 4. Ingenium naſtus eſt acre, & aliquantulum vehemens, quod teſtantur eius ſtudia, ſcripta & acta. In ſtudiis ſuis ab incunabulis fere præclaræ indolis ſpecimina edidit, vt omnes de eo ſpem optimam conciperent. Abſolutis tirociniis non in otio & recreationibus aut vanitatibus Mundi (quod plerumque ſolent ditiores) ætatem tranſegit, ſed ad ſtudia ſeueriora philoſophica (quorum profes-

A 4

ſio

fio vitam a vulgi consuetudine separa-
 tam etiam inter Ethnicos requirebat) a-
 nimum applicuit, DEO sic moderante,
 ne fordidis & infamibus ventris & galæ
 voluptatibus corrumpetur vasculum,
 quod Gratia sua implere, & sanctioribus
 Spiritus deliciis reseruare voluit. In phi-
 losophicis vsus est Præceptore *Andragathio*,
 in arte vero Oratoria, (ad quam na-
 tura propendebat, & singularem habebat
 promptitudinem,) *Libanio*, Eloquentiæ
 ibidem Professore. Cui ob dotes inge-
 nii, & profectus haut vulgares, adeo cha-
 rus extitit, vt ægrotans aliquando, & ab
 amicis rogatus, quem sibi ex Discipulis
 successorem deligeret præ cæteris idone-
 um, *Ioannem*, dixerit, *nisi illum Christiani*
nobis eripuissent. Postea Athenas profectus
 studiorum causa, (quod refert Georgius
 Patriarcha Alexandrinus, addito miracu-
 lo, de Conuersione *Anthemii*, Philosophi
 Ethnici, cum Chrysoftomo disputantis,
 quod suo loco relinquitur,) indeque An-
 tiochiam reuersus, mansit apud Libani-
 um, seque in causis forensibus exercuit,
 suscipiens aliquoties defendendos re-
 os, tanquam Patronus causæ, *δικαστηρίω*
παρεδρέων, (vt ipse testatur de se) in
Dicasterio assiduus, licet tempore non adeo
 multo. Conscripsit quoque Orationem
 in laudem Imperatoris, & duorum Filio-
 rum Augustorum, a Libanio valde lau-
 datam,

de Sacerd.
 libr. 1.

datam, in literis ad ipsum scriptis, quas
exhibet Isidorus Pelusiota, Chrysofomi
discipulus. Studia hæc iuuentutis, etsi
multum vanitatis habuerint admixtum,
(vt ipse agnouit postea, vocans ea τῶν ἔ-
ξωδεν, i. e. Ethnica,) DEO tamen di-
rigente eo profuere, vt deinceps abiecta
vanitate, agnitam ex sacris literis verita-
tem tanto clarius & eidentius proponere
& explicare potuerit.

Libr. 2.
Ep. 42.

de Sacerd.
Lib. 1.

§. 5 Didicisse fideliter artes, emollit
mores, vt est in prouerbio. Et hos ab E-
ducatione & artibus humanioribus habuit
humanos, vnde *multos* sibi in iuuentute,
concordiauit *amicos*, eosque *regularum vera*
Amicitia & *gnaros* & *obseruantes*, vt ipse
fatetur. Sed reliquis omnibus chariorem
habuit *Basilium*, (non Cæsariensem, qui
ipso nascente Athenis fuit, vt supra dixi,
nec Seleuciensem Episcopum, sed alium
quendam, cætera ignotum,) per omnia
cum ipso consentientem, & cætera parem.
Hic eum instigare cœpit ad vitam solitari-
am & Asceticam, relictis omnibus rebus
mundanis amplectendam. Quod cum
initio ægre, tandem quotidianis monitis
persuasus (cohabitabant enim) facile ad-
mitteret, & cum ipso deliberaret, Mater
hæc sentiens eum ab hoc proposito retra-
xit, verbis penetrantissimis (quæ recitat)
& admixtis lachrymis monens, vt ante
mortem suam (quæ forsan instet) disce-

Ibid.

Ibid.

A 5

dere

dere seque denuo viduam facere nolit. Post mortem suam liberum ei fore, proficisci, quocunque libuerit. Hæc cum referret Basilio, & is instaret, accidit rumorem per totam urbem ferri, de utroque ad Episcopatum vocando, & prope diem ordinando. (Solebant eo tempore sæpius inuitos vocare, quos nouerant idoneos esse.) Ad hoc munus cum se idoneum censeret Chrysostronus, Basilius vero maxime idoneum, die ordinationis, cum Basilius veniret in Ecclesiam putans Chrysostronum se quoque illic reperiturum esse, hic sese subduxit, ut nulli inueniri potuerit. Basilius ordinatus postea cum Chrysostrono collocutus, ei obiiciens, quod contra leges amicitiae se reliquerit, utrumque maleuolorum obtreptionibus exposuerit, & ministerio verbi intempestiue se subduxerit; responsum illud tulit, quod sequenti tempore Chrysostronus in libris vel sermonibus sex de Sacerdotio, e solitudine reuersus, Antiochiæ conscripsit. Nimirum subduxit se ad tempus, ut magis præparatus ad ministerium verbi rediret. Erat enim adhuc iuuenis 21. annorum.

§. 6. Tandem mortua matre, (ut refert Georgius Alexandrinus) exuta omni vanitate mundana, studium sacrarum literarum ardentè cœpit persequi, & hoc ut sine auocamentis continuare, cupiditates-

tatesq; seculi eo fortius reprimere posset, amplexus est vitam Asceticam, ad quam quoque, ingenio ad ardua semper propenso, inclinabat. Erant Ascetæ, extra Antiochiam in montibus degentes, quorum confortio se coniunxit, secutus exemplum Euagrii condiscipuli sui. Refert Palladius, eum triennium, antequam eo se conferret, inter domesticos *Meletii* Episcopi versatum, & ab eo dilectum, in sacris institutum, & Lectorem in Ecclesia constitutum fuisse. Inter Ascetas, (quorum tuguriola hodiernis Monasteriis plane dissimilia, *Scholas Theologicas* fuisse putat *Erasmus*; Scholis enim publicis adhuc præerant Ethnici, vt *Libanius* Antiochiæ, *Anthemius* Athenis;) dilectos præ reliquis amicos habuit duos, quorum ductum in S. scripturis secutus est; *Cartesium* nempe, & *Diodorum*, Episcopum postea Tarsensem. A quo didicit in explicatione sacræ scripturæ primo eruere sensum literalem, deinde addere moralia, allegoriis vero & allusionibus tunc temporis vsitatis non indulgere nimium, qua in re scripta Chrysofomi aliorum Patrum scriptis præferenda videntur. Verum enim vero non ipse solum didicit sacras literas, sed & aliis ad illas recte discendas adhortator & adiutor fuit, vt solemus optime discere, cum docemus. Inter illos fuere *Maximus*, Episcopus Seleuci-

en-

ensis in Isauria, & *Theodorus*, Episcopus Mopsuestensis in Cilicia, eius tunc temporis condiscipuli in schola *Libanii*. *Theodorum* ab hoc instituto vitæ Asceticæ, ad vitam secularem relapsum, & nuptias meditantem, duabus epistolis reuocauit, quæ extant inter Opera eius. Horum in consortio amicorum aliquot annos transigens, & subinde in vrbe pios visitans, vt consuetum erat illis, deinde vltterius secessit in eremum, ipse solus, & precibus, ieiuniis, sacris lectionibus & humicubationibus, aliisque durissimis corporis afflictionibus diu noctuque inuigilans, duos annos in cella sua latuit. Tandem domitis carnis cupiditatibus, cum sentiret corporis nimium afflictivaletudinem periclitari, Antiochiam rediit & recuperandæ valetudini operam dedit. Etsi hic nimius fuisse videatur, profuit tamen hic rigor, DEO sic moderante, ad serenitatem & tranquillitatem conscientia in tota reliqua vita; refrenatis nimirum hostibus eius in iuuentute, hoc est, prauis concupiscentiis; quibus alii nimium indulgentes in adolescentia, vix in senectute frenum imponere possunt.

CAP.



CAP. II.

DE

VOCATIONIBVS E-
IVS AD OFFICIA EC-
CLESIASTICA.

§. I.

Admirandum ductum Prouidentiae diuinae vidimus in studiis eius iuuenilibus ; magis admirandum videbimus in vocationibus ad officia Ecclesiastica. Percrebuerat Antiochiae fama de eius dotibus singularibus & sanctimonia, & optimi optima quaeque de eo sperabant. Vnde reuersum e solitudine *Meletius* Episcopus suscepit, & Diaconum vocauit & ordinauit Anno Christi 381. cum ad Concilium Constantino- politanum contra Macedonium proficisci vellet, quod officium non recusauit, annum aetatis agens vigesimum septimum. *Diaconatu* functus est *quinque* annos, ea fide, vt omnibus probis se probaret. Sed cum *Meletio*, eo ipso anno post reditum a Concilio, mortuo, succederet *Flavianus*, & huic opponeretur *Paulinus*, ab aliis electus, schismate in Ecclesia Antiochena vltorius continuato, maluit abstinere, quantum potuit, a publicis Ec-
clesi-

clesiæ negotiis, quam alterutrius partes sequens, se iisdem immiscere. Ad studia itaque sacrarum literarum se totum conuertens, animum applicuit ad scribendum. Atque tunc libros seu sermones de Sacerdotio in solitudine inchoatos, ad finem perduxit & confecit. Præterea scripsit libros suos contra *Iudeos*, contra *Gentiles*, contra *Anomæos* & de *Prouidentia*, ad *Stagirium*, Amicum inter Ascetas, contra pusillanimitatem, & tentationes Sathanicas luçantem. DEO ita dirigente vias eius, vt si non voce, tamen calamo inferuaret Ecclesiæ suæ.

§. 2. *Flavianus* perspecta eius integritate, inter *Presbyteros* Ecclesiæ, aliis licet contradicentibus, eum cooptat, anno ætatis eius 32. Christi 385. Die ordinationis suæ primam in Ecclesia præsentem Episcopo habuit Homiliam, qua suam tenuitatem humiliter testatur, & preces Episcopi atque Ecclesiæ ad munus Presbyteri fideliter obeundum implorat. Extat inter Opera eius. Paulo post alia habita Homilia applausum populi, eius donis delectati, consequitur, quod animaduertens Episcopus, munus concionandi posthac in ipsum sæpius deuoluit. Quæ omnia diuinitus facta esse constat, quando aliorum contentiones, applausum querentium, aut sibi inuicem inuidentium, considerare voluerimus. Erant vero mo-

mores applaudentium eo tempore vfitati, non solum voce, sed manibus quoque, & pedibus adstrepere, quoties placentia proferebantur, ab Ethnicis assumpti. Quos in sequentibus Homiliis sæpius corripuit: *Non esse ex Ecclesia faciendum Theatrum, se non querere laudem & applausum, sed opera verbo Deiconformia.* Μετὰ πολλῆς θορύβου καὶ κρότης τὴν παραίνεσιν ἐδέξατο. *Magno cum strepitu & applausu admonitionem suscepistis. Ἐκεῖνον ζητῶ τὸν ἔπαινον, ἐκεῖνον τὸν κρότον, τὸν διὰ τῶν ἔργων αὐτῶν. Illam laudem quero, illum applausum, ut faciatis audita, & laudata.*

Hom. 4.
de Incom-
pr. con-
tra Anom.

§. 3. Accidit paulo post Anno Christi 387. Theodosium Imperatorem Antiochenis vehementer iratum, ob statuas æneas imperatorias a seditiosa plebe deiectas, (Seditio coorta erat ob nimiam pecuniæ summam rigide exactam ab Imperatore, sua Decennalia, & Filii Arcadii Quinquennalia more Romano celebraturo;) urbem velle metropolitanis priuilegiis spoliatam tradere militibus diripiendam, & exurendam, & missis ex aula Iudicibus inquirere in Autores seditionis. Hoc rumore allato ingens erat in vrbe calamitas, & venientibus Cæsareis Ministris, suamque inquisitionem instituentibus, tantus tremor, tanta consternatio, vt nemo mutire, nemo fere in publicum prodire auderet. Omnes passim cum la-
chry-

chrymis & suspiriis ad Ecclesiam confluebant, ibi refugium apud DEVM & in hac calamitate auxilium quærentes. Atque hic non defuit officio suo Chryso-
 stomus, Homiliis suis *περὶ ἀνδραγμάτων* de *statis* populum consolatus & adhortatus ad resipiscentiam, obedientiam, patientiam, fidem & spem erga DEVM. Quibus Christus quoque singularem successum dedit, non solum ad mitigandum rigorem Ministrorum Cæsareorum, sed & ad pacandos ciuium animos, & retinendam Ecclesiæ tranquillitatem; absente Episcopo, & Constantinopolin misso, ad placandam Imperatoris iram; vsque dum ea placata rediit, & totam urbem læto reconciliationis nuncio exhilarauit. Nempe exaudiuit DEVS preces afflictorum, flexit animum Imperatoris, alias pii & religiosi, rexit consilia Episcopi & Presbyterorum, se inuicem vere diligentium, benedixit laboribus eorum, vnanimiter pro gloria Nominis diuini, & salute animarum susceptis, adeoque talem euentum dedit, omnibus pariter iucundum.

§. 4. Mortuo eo tempore *Paulino*, *Eunagrius* quidem successus est, sed & hoc non diu post defuncto, *Flavianus* partem aduersam persuasit, vt secum communicarent, quod hætenus recusauerant; adeoque solus Episcopus remanens, sublato schismate, Ecclesiam Antiochenam
 paca-

pacavit, & vitam suam ibi quoque pacate
 finiit. Memoratu dignum est respon-
 sum, quod dedit Imperatori Theodosio,
 durante schismate ipsum hortato, ut cau-
 sam suam Romæ in Synodo quadam diju-
 dicari pateretur: *Si quis me, ait, erratum
 in doctrina, aut delictorum in vita, indignum
 me Episcopatu reddentium, accusare & con-
 vincere poterit, non abnuorem iudicibus com-
 mittere, & eorum decisioni me submittere.*
*Sed cum his saltem sit de dignitate & preroga-
 tiva sedis meæ Episcopalis, non certare, sed
 cedere paratus sum. Da eam, potentissime
 Imperator, cui voles.* Placuit hoc Impe-
 ratori, ipsius mansuetudinem mirato;
 & ei in pace dimisso, aliorum quoque fa-
 vorem concilianti; DEO cooperante,
 ut pacificæ mentis fructibus fruere-
 tur. *Beati mites, quoniam hereditate possidebunt
 terram.* Sed & Ioannem DOMINVS,
 decenter cum eo conversatum, in Pres-
 byterio 12. annos, porro mirabiliter ad
 Episcopatum Constantinopolitanum vo-
 cavit. Decefferat Theodosius, a rebus
 gestis dictus magnus, A. C. 395. succes-
 serat *Arcadius in Oriente, Honorius in Occi-
 dente*, Filii ejus. Mortuus erat Con-
 stantinopolitanus Episcopus *Nectarius*,
 A. C. 397. & quærebatur successor ido-
 neus. *Theophilus* Episcopus Alexandri-
 nus, zelo suo ob destructum Alexandria
 B in

in Ægypto Templum & Idolum *Serapis* famigeratus & in aula notus, Presbyterum suum *Isidorum* commendare volebat, per eum Constantinopoli quoque dominaturus; Alii alios. Populus supplex rogabat Imperatorem, Arcadium, vt dignum præponeret Ecclesiæ Episcopum. *Eutropius*, Eunuchus, Cubiculariorum Præfectus, Imperatori tunc valde gratus, commendabat Chrysoftomum, quem Antiochiæ viderat, audierat, & ex conuersatione dona eius ac vitæ integritatem nouerat. Sed addebat, cum Antiocheni ipsum ægre essent dimissuri, ne concitaretur tumultus, rem secreto esse agendam. Placebat Arcadio Viri commendatio, & consilium, populus quoque Constantinopolitanus annuebat. Committebatur negotium *Asterio*, Orientis Proconsuli, vt Chrysoftomum Antiochia clam abductum Constantinopolin mitteret. Is intellecta Imperatoris mente, nemini quicquam Antiochiæ ea de re manifestans, rogauit Chrysoftomum, vt se comitaretur paulisper extra urbem progressurum, vsque ad sepulchra Martyrum anteportam Romanam; esse enim, quæ secreto cum ipso vellet colloqui. Obsequente eo, & in currum Proconsulis recepto, festinabat auriga, & continuo equorum cursu eos deuehebat ad urbem, in via

ver-

versus Constantinopolin primam, *Pagæ* dictam, ubi Legatis Cæsareis traditus & mox Constantinopolin deductus est. Sic vocatio hæc contigit ei penitus ignaro, & initio inuito, postea tamen diuinæ voluntati se committenti; quod admirandæ diuinæ prouidentiaë euidentis fuit indicium.

§. 5. Sicut mirabili DEI consilio ad munus istud arduum vocatus, ita mirabili quoque auxilio DEI in eo adiutus & protectus est. Aduentantem Magnates aulici cum populo obuiam progressi magno cum honore & ingenti cum lætitiâ excepere. Arcadius Augustus ad solennem eius introductionem apparatus fecit non vulgarem, conuocatis præcipuis in imperio Episcopis. Inter quos cum adesset quoque Theophilus Alexandrinus, & initio electioni eius consentire nollet, Eutropius additis minis, nempe patefaciendi delicta eius, quæ nosset, eum consentire coegit, quæ res simultati inter Theophilum & Chrysofomum occasionem dedit. Cæteri consensere omnes, atque sic Chrysofomus d. 26. Febr. 398. solenniter collocatus est in thronum Episcopalem, cui ex liberalitate Constantini Magni, & quod Constantinopolis esset vrbs Regia, præ cæteris aliquid honoris & dignitatis additum fuit. Ut gratum se

ostenderet DOMINO suo IESU CHRIS-
 TIO, qui ipsum in illud fastigium eve-
 xerat, mox post introductionem seriam
 Ecclesiæ & Diœceseos suæ curam suscepit,
 & ad emendandos abusus, qui per incuriã
 Antecessoris irreperant, in Clero & ædi-
 tibus Ecclesiasticis, animum adjecit. Re-
 movit ex ædibus Clericorum virgines &
 fœminas *εισάκτος*, quas sub prætextu œ-
 conomiæ vel spiritualis ædificationis fo-
 vebant, monstrato periculo & scandalo,
 in duabus homiliis, quæ extant. Ipsorum
 corripiebat avaritiam, luxum, & lautiti-
 as, propter quas convivia ditiorum fre-
 quentabant. Populum adhortabatur ad
 devotionem in auditu verbi, & precibus,
 & qui interdum non possent, eos noctur-
 nis volebat interesse precibus, in Ecclesia
 hæctenus aliquandiu omisfis. Hæc etsi
 displicerent Clero, nihilominus urgebat,
 suspendens ab officio segnes & inobedi-
 entes, indignos judicans eos, qui male
 viverent, honore Clericali. Viduas visi-
 tans, monebat eas, quas laute vestitas,
 unguento & balneis utentes videbat, ut
 vel nuberent, vel sancte viverent. Redi-
 tum Episcopaliū partem, quam Ante-
 cessor sumptibus mensæ impenderat, ipse
 sumptibus parcens, pauperibus erogabat,
 & quod reliquum erat, Xenodochiis ex-
 truendis insumebat, quibus duos Pres-
 byte-

byteros præficiēbat, medicos, coquos, famulos addebat, ad curandos ægrotos & peregrinos; sed cælibes omnes, ne commodum suum quærentes, in exercitio christianæ charitatis segnescerent. In his omnibus non sine successu pergebat, multis licet adversantibus, fruens gratia & auxilio DEI, & favore plebis christianæ.

§. 6. Sed multo evidentius sensit hoc auxilium DEI in homiliis & laboribus pro salute animarum, & conversione dissentientium susceptis. Constantino-
polis urbs erat frequentissima, in qua plures erant Ecclesiæ, quæ omnes in urbe competebant fidelibus Nicænum Symbolum confesfis. Extra urbem etiam Arianæ, Macedoniani, & alii hæretici suos habebant conventus, sed per Edicta Cæsarea restrictos; habebant Iudæi Synagogam suam; multi etiam reliqui erant Ethnici, sed eorum cultus Idololatricus publice non tolerabatur. Contra hos omnes ut vigilabat Chrysoſtomus, ita iis convertendis operam impendebat non inutilem, alliciens eos in Concionibus suis, easque in linguam Gothicam translatas, Gothis Arianis legendas exhibens. Persuadebat Episcopos, ut non solum Gothis in urbe prædicarent Evangelium, sed mitterent Clericos, qui Scythis No-

madibus ultra Danubium prædicarent. Ipse quosdam mittebat Cæsareis mandatis instructos in Phœniciam ad destruendum Gentilismum, late adhuc ibi regnantem. Memorabile est, quod refertur de ciue quodam sectæ Macedonianæ, qui sermone quodam Chrysofomi de SS. Trinitate conuersus, eandem cœpit fidem amplecti, & in Communionem recipi desiderauit, cum Coniuge, quam se quoque persuasurum esse sperauit. Sed vxor primum renuens, deinceps simulans, aduentante die Communionis cum marito ecclesiam quidem ingreditur, communicantibus interest, & panem benedictum accipit. Verum dum acceptum benedictum panem clam respuens, aliam buccellam panis ab ancilla (quacum conuenerat,) subministratam assumit, dentibus eam tenens, sentit subito in lapillum mutatam esse. Conterrita mulier agnoscit peccatum suum, & postea ad Chrysofomum accedens rem omnem recenset, monstrat lapillum, peregrini coloris, in quo vestigia dentium impressa erant, fatetur enorme suum delictum & cum lacrymis veniam rogat. Posthac toto corde conuersa cum marito semper deuote accedit, & digne usa S. Cœna accipit remissionem peccatorum, & gratiam DEI ad salutem. Qui hæc refert *Sozomenus,*

menus, addit lapillum hunc in Gazophylacio Imperatoris inter alia rara suo tempore adhuc asseruatum fuisse. Sic diuina Chrysofomi vocatio habuit quoque diuinum successum. Lib. 8. c. 5.

§. 7. Taceo alia eius κατορθώματα, disciplinam Ecclesiasticam concernentia, vbi *duos* ex Clericis suis, alterum homicidii, alterum alius criminis reos, & in Synodo Ephesina (quo euocatus erat ad componendas Clericorum istius Diœceseos dissensiones) *sex* Episcopos, Simoniaë conuictos, ab officio remouit, aliis in eorum locum surrogatis, quo facto illorum & aliorum maleuolorum odia & persecutiones in se deriuauit. Saltem adhuc commemorare volo, quomodo diuinitus in officio suo adiutus, diuinitus etiam aduersus malorum insidias in officio protectus sit, *sex* vel *septem* illis annis, quos egit in Episcopatu, vsque ad triennium exilii, in quo mortuus est. Primus aduersarius fuit *Eutropius*, qui opibus, clientibus, potentia, & fauore apud Imperatorem creuerat supra reliquos, sed abusus isto fauore ad tyrannidem multa, violenter & inique egerat. Is insuper habitis monitis Chrysofomi pergebat in sua insolentia, & Ecclesiæ quoque priuilegium *Asyli*, quod hætenus habuerat, recipiendi ad se confugientes reos, ne vel

infontes, vel fontes non satis auditi ple-
 terentur, eripere conabatur. Cui cum
 se opponeret Episcopus, ecclesiae jura
 defensurus, nihil quidem eo tempore ef-
 fecit. Praevaluit autoritas *Eutropii*, Im-
 peratorem persuadentis, ut contra hoc
 beneficium Edictum publicaret, quo mi-
 litibus & aliis executoribus concedebatur
 licentia, reos persequendi usque in tem-
 plum, & ab altari quoque vi abstractos
 comprehendendi; cui tunc cessit Chry-
 sostomus. Sed non multo post tempore,
 DEO superbos dispergente mente cor-
 dis sui, plus obtinuit, quam cogitaverat.
 Accidit enim, *Eutropium* omni favore Im-
 peratoris & aulae privatum, insuper mul-
 torum criminum reum, contra furorem
 inimicorum suorum in extrema neces-
 sitate sua ad templum confugere, & ad la-
 tus altaris in terra prostratum idem be-
 neficium Asyli petere, quod antea abro-
 gaverat. Sed frustra fuisset, nisi Chryso-
 stomus ejus misertus, consensu sugge-
 stu, habita homilia in *Eutropium* (quae
 extat) animos procerum & populi pla-
 casset, & ut vitae ejus parceretur, (quod ju-
 rato promittebatur,) impetrasset. Quan-
 quam in exilium deportatus, & inde rur-
 sum reuocatus, majorum criminum reus,
 (etiam laesae Majestatis, quod purpuram
 gestasset,) Chalcedone nihilominus de-
 colla-

collatus tandem, & lex ejus rescissa est. Sic confirmat DEUS veritatem verbi sui contra contemnentes eam.

§. 8. Alter Adversarius erat *Gainas*, Dux militiæ, Gothus, & Arianus, vehementior quidem, sed quem DEUS mirabiliter cœrcuit. Fuerat is ab initio miles Romanus gregarius, deinde per gradus ascendens, factus erat dux militiæ; Et suæ nationis hominibus præ cæteris benefaciens, iisque honores & officia distribuens, magnam exercitus partem ad se traxerat. Potentia ejus toti aulæ erat suspecta, & videbatur ad dignitatem Imperatoriam aspirare. Ne igitur seditionem in Imperio moveret, placuit eum honorifice tractare, & ad colloquium cum Arcadio Augusto admittere in templo Chalcedonensi S. Euphemix. Quo ille insolentior factus, & Imperatorem secutus, Constantinopolin trajicientem, cœpit postulare, ut sibi suisque in urbe traderetur ecclesia, ad cultum divinum ritibus Arianis peragendum. Hoc salva conscientia ipsi concedi posse, Chrysostomus, ob id rogatus ab Imperatore, pernegavit; & ne Imperatori aut imperio periculum accersere videretur, ipse præfente Imperatore postulatum hoc *Gainæ* denegavit, eique sua merita objicienti respondit, ea satis remunerata esse. Si

B 5

velit

velit in urbe cum fidelibus christianis
 DEUM colere, omnium templorum fo-
 res ei patere. Ille palam quidem nihil
 contradicere, clam tamen res novas mo-
 liri, hoc responso non contentus, cœpit,
 quæ in apertam seditionem eruperunt.
 Bis voluit arcem Imperatoriam noctu in-
 cendere, misis sicariis, qui conspecto
 circa arcem cœlesti Angelorum præsidio
 territi re infecta redierunt, quod ipse-
 met altera vice vidit & expertus est. Vo-
 luit quoque æraria Mercatorum in urbe
 spoliare, sed frustra; Nam hi moniti pe-
 cuniam abdiderant. Tandem armis se-
 cum sumptis ex urbe discedere volens, in
 porta ab excubitoribus detentus, & re ad
 Imperatorem delata, tanquam publicus
 hostis Imperii declaratus est. Tam fide-
 liter Custos Israelis pios custodit reges,
 pios verbi ministros tuentes! *Gainas* col-
 lecto exercitu deinceps in Thracia atro-
 citer sæviit, omnia longe lateque va-
 stans. Septem millia Gothorum in ur-
 be remanentium, & in templum confu-
 gientium, igne, per apertum tectum in-
 jecto, periire. Theodoretus refert, Chry-
 sostomum ad *Gainam* in Thraciam able-
 gatum, perhumaniter ab eo acceptum,
 ad pacem animum ejus flexisse, quod
 rursus indicium est divinæ protectio-
 nis. Nam ipse negauerat templum *Gai-
 na,*

ne, & ipsum rursus periculum placandi hostilis animi causa subiit intrepidus, rediit saluus & incolumis. Tandem *Gai- nas* in conflictu cum exercitu Romano, (*Zosimus* vult, cum exercitu *Huldis*, principis Hunnorum,) cum omnibus suis cæsus occubuit.

§. 9. Majorem ei molestiam creavit *Theophilus* Episcopus Alexandrinus, qui cum aliis falsis fratribus clam infidiatus non solum honoribus, sed & famæ & vitæ ejus; Tandem coacta Chalcedone contra eum Synodo, consentiente Imperatore, præsertim *Eudoxia* Coniuge eius, cui inuisus erat redditus ab assentatoribus, propter ἀπροσωπολήπτως correcta vitia, ab officio remotum, exulem fecit, idque duabus vicibus. Quæ quidem omnia patienter tulit, DEVM tamen habuit propitium, & innocentiam eius euentu admirando testantem. Initium Tragediæ factum est, cum Monachi quidam Ægyptiaci, a *Theophilo* propter errores *Origenis* (quos ille in Synodo quadam in sua Diœcesi damnauerat, & *Epiphanium*, *Cypri* Episcopum, ut idem faceret, persuaserat) ex Ægypto pulsî, *Constantinopolin* profugi ad *Chrysofomum* venirent. Quos hic non quidem ad Sacram Communionem protinus admisit, suscepit tamen tanquam peregrinos, & iis de hospi-

hospitio & cæteris necessariis prospexit. Idem fecit ipsa *Eudoxia* Augusta, cum Chrysoftomo tunc consentiens, *Olympias*, & alia matronæ nobiles & christianæ. Interim studens eos reconciliare cum suo Episcopo, scripsit ad Theophilum; sed responsum tulit superciliosum & vehemens; esse nimirum in Synodo Nicæna statutum, ut quisque maneret intra suam Diœcesin, & nullum sibi de rebus alterius Episcopi extra suam Diœcesin iudicium arrogaret; quod si nesciret disceret. &c. Præterea rumorem passim spargebat Theophilus, quod excommunicatos illos Monachos Chrysoftomus in communionem recepisset, & sic non solum contra Synodi Nicænae statuta peccasset, sed & errorum Origenis se fautorem esse manifestasset. Quo rumore multorum Episcoporum animi occupati, suspectum habere cœperunt Chrysoftomum, præsertim *Epiphanius*, qui finistre sentiens de eo, iniquum tulit iudicium, Constantinopolin veniens, & damnans Origenis libros, Chrysoftomo inconfulto. Cum id ægre ferret, dixit Epiphanius, ipsum non diu mansurum esse Episcopum. Respondit Chrysoftomus, & ipsum non vivum reversurum esse domum. Quod & factum esse refert Georgius Patriarcha Alexandrinus in vita eius. Nam mortuus est Epiphanius in navi, antequam

quam

quam ea Cyprum appulisset. Ita premebatur Chrysofomus errorum Origenicorum suspicione, a quibus tamen alienus erat, non omnia probans in Origene, nec modum ejus, allegorice explicandi S. Scripturas, sequens. Quin ipse Theophilus nihilominus legebat libros Origenis, quos damnaverat. Interrogatus, respondebat, *esse eos instar horti, variis floribus & herbis conferti, e quibus utiliores colligeret, reliquas suo loco relinqueret.* Sed & Chrysofomi & Monachorum ab eo susceptorum, *Dioscuri præprimis & Ammonii*, innocentiam DEUS admirando eventu testatus est. Viri erant, omnium iudicio, vere christiani, & uterque mortuus est ibi & sepultus. *Dioscurus* ante Synodum; cum rogasset DEUM, *ut vel pacem redderet Ecclesie, vel ad meliorem pacem caelestem se transferret;* posterius factum est. *Ammonius* in Synodo, cum prædixisset, *magnam in ecclesia dissensionem fore, autores hujus a DEO punitum iri, postea pacem redituram esse,* referente Palladio, qui & hoc impletum esse fatetur. Et quod valde mirum est, Theophilus ipse audita ejus morte illachrymatus est, & demum Chrysofomo deposito cum ejusdem monachis in gratiam rediit. Unde manifestum est, quod ab Origenis erroribus saltem prætextum quæsierit, ad pallian-

liandum suum erga Chrysoftomum odium iniquissimum.

§. 10. Telam hanc persecutionis a Theophilo orsam, continuarunt alii, nempe *Seuerianus* Episcopus Gabalensis (*Gebal*, vrbs Phœniciaë) *Antiochus*, Ptolemaidis Episcopus, qui tunc in aula negotiorū causa aliquandiu commorabantur. Viri docti quidem & disertī, & propter dona sua multis aulicis, ipsi etiam Chrysoftomo initio grati, sed hypocritæ ambitiosissimi, & adultores pessimi. Nulli enim sunt infensiores piorum hostes, quam hypocritæ subtilissimi. His accedebant *Isaacus*, Archimandrita, & *Aeacius*, Episcopus Berroensis, qui quod iuxta vanitatem mentis suæ hospitio non exceptus esset a Chrysoftomo, minatus erat, *se ferculum ei preparaturum esse*; Et nonnulli ex Clericis eius, vtpote *Ioannes* inter Presbyteros primus, & alii maleuoli; omnes coniurati Chrysoftomi hostes. Hi consilia sua clandestina conferentes conspirabant in hoc, vt eum in aula inuisum & exosum quotidie magis redderent obtrectationibus & calumniis suis, primo *Eudoxiæ* Augustæ, deinde per hanc quoque Imperatori *Arcadio*, vt consentiret Synodali aduersus Chrysoftomum decreto. *Eudoxia* infensa ei, propter parthesiam, cum aliis in aula, (corripuerat enim

enim

enim eam, ob vineam viduae *Callitropes*, iniuste occupatam, ut ut monita eam restituerat,) faciles aures præbebat adulatoribus, *Seueriano & Antiocho*, nullam, occasionem prætermittentibus, insinuandi se in fauorem eius, ita ut contra mores Episcoporum scenicis quoque ludis interessent. Conquesta erat de nimio rigore *Ioannis* Episcopi sui, præsentate *Epiphanio* cum aliis Episcopis, sibi iniuriam fieri putans, cum & ipsa amaret, Christum, idque beneficiis erga clerum & populum demonstraret. Has querelas augebant duo isti parasiti, referentes, Chrysofomum nuper in homilia quadam mentionem fecisse *Iesabelis & pseudoprophetarum in mensa eius comedentium*. Hæc ad se pertinere rata (cum tamen verba in genere dicta etiam aliæ plures matronæ nobiles sibi applicarent) non desinebat, Imperatorem instigare aduersus Chrysofomum, donec in deiectionem eius consentiret. Et cum adhuc dubitaret, Imperator, metuens peccatum, aderant assentatores supra dicti, confirmantes *Eudoxiæ* verba, & dicentes, si quid peccaretur, peccati culpam in se recepturos esse. Consistente Imperatore accerseretur *Theophilus*, ut Synodum cogeret ad deponendum Chrysofomum. Qui cum hoc audito iter ingredi vellet, dixisse

se

se fertur, *proficisci se ad aeponendum Ioannem*. Et hæc omnia clanculum agebantur, in scio Chrysoftomo, qui nihil horum resciverat, nisi quod monitus a *Serapione* Diacono suo fideli, (cui iratus *Severianus* minitatus erat remotionem) cavens infidias, abstineret ab huius perfidi amici consortio; & utrumque moneret, *Severianum* nempe & *Antiochum*, ut redirent ad suas Ecclesias. *Severianum* abiturum prius *Eudoxia* cum Chrysoftomo conciliatura, secum attulit in ecclesiam filiolum suum, principem *Theodosium*, eumque iussit amplecti genua ejus, (more tunc usitato,) quasi id honoris desideraret, vel adeo austerus & ἀσorgος esset Chrysoftomus. Ita mundus solet osculari, quos vult prodere.

§. II. Rebus sic compositis venit Constantinopolin Theophilus, a nautis in littore reverenter exceptus. Et præteritis Chrysoftomi ædibus, in quibus hospitio excipiendus erat, in salutato quoque Episcopo loci, contra mores & canones ecclesiæ, perrexit cum Episcopis, quos secum attulerat ex Ægypto, in suburbium, ubi hospitium ipsi paratum erat in æde *Placidiana*. Ibi commoratus tres hebdomadas, & ad se trahens omnes malevolos & aduersarios Chrysoftomi, trans fretavit Chalcedonem, ibique Syno-

no-

nodum congregavit 45. (alii 36.) Episcoporum, in domo quadam foris prope quercum, vnde Synodus dicta *ad quercum*. Congregatis Episcopis oblatus est libellus, continens 29. crimina Chrysofomo impacta, quorum multa futilia, alia deprauata, pleraque falsa & conficta erant, vt testatur Palladius. Citatus a Synodo Chrysofomus (qui & ipse Synodum 40. suorum Episcoporum coegerat) & ab Imperatore quoque iussus comparere, respondit: *se non posse hostes suos pro legitimis suis Iudicibus agnoscere. Segregarent prius a cœtu suo, quatuor Episcopos sibi aduersos, Theophilum, Seuerianum, Antiochum, Acacium, & eos inter Accusatores collocarent, tum se adfuturum, & sua commissurum esse iudicio non solum eorum, sed & aliorum Episcoporum longe plurium, licet vel centum vel mille congregati forent. Sed illi Chrysofomi ablegatos male habentes, alium iridentes & subsannantes, alium verberantes catena, (quæ ad ligandum Chrysofomum parata erat,) pergebant examinare obiecta crimina, & concludebant, ipsum ab Episcopatu remouendum esse. Decretum Imperatori mittebant, petentes eius executionem; qui suis satellitibus eam commisit; quibus seipsum postea Chrysofomus sponte tradidit, ad euitandum in vrbe tumultum. Sic fan-*

C

Etissi-

Etissimo nomine Christi in illegitima illa Synodo abusi sunt hostes Chrysofomi ad opprimendum eum.

§. 12. Patienter hæc cum ferret Chrysofomus, diuinitus a DEO protectus, & rursus adiutus est. Ea nocte, qua auectus Chrysofomus, & *Prænetū* (quod erat prædium in Bithynia) abductus est, non solum ingenti terræ motu vrbs Constantinopolis concussa, sed postridie magna etiam seditio orta est in plebe, querente Chrysofomum illegitime remotum esse, & culpam in Theophilum, imo in ipsum Imperatorem coniiciente. Inopinato hoc euentu, plurimorum animi mutati, hostes confusi, Arcadius & Eudoxia conterriti sunt, adeo vt confestim mitterentur, qui Chrysofomum reuocarent. Rediit igitur, maiori cum lætitia & reuerentia receptus, quam prima vice fuerat, exceptus; Theophilus cum suis confusus abiit Alexandriam. Ipsa Eudoxia blandis verbis eum salutare iussit, *preces suas exauditas, votum suum impletum, quod ipsa corona charius habeat, episcopum suæ ecclesie, pastorem suo gregi esse redditum. Hoc impleto voto iam se paratam esse mori seu viuere secundum DEI nutum &c.* Decretum Synodi ad quercum cum omnibus actis abolitum est, per contrariam Synodum 65. episcoporum, Constantinopoli habitam, atque

atque ſic Chryſoſtomus ex *primo* exilio reuocatus in epiſcopatu ſuo confirmatus eſt. In *altero* exilio, quod poſtea ſecutum eſt, DEVS quoque iram ſuam teſtatus eſt, admirando & fere prodigioſo rerum euentu, ſed Chryſoſtomus maluit, ſponte exulare, quam maioribus turbis anſam dare. Nam non diu poſt reditum eius ſtatua Eudoxiæ argentea collocata, eſt in vico quodam vrbiſ non procul ab eccleſia Chryſoſtomi. Ad quam cum fieret confluxus populi propter ſpectacula pugilum, ſcenicorum & aliorum, quotidie ibi ludentium, & auditores Chryſoſtomi abſtraherentur a cultu diuino, & rarius venirent in templum, Chryſoſtomus illud corripiens, inter alia dixiſſe fertur: *iterum furit Herodias, iterum ſaltat, & querit caput Iobannis in diſco &c.* De quibus verbis tamen dubitat *Photius*, vt vt *Socrates* eum cenſeat *improuidum, præpoſtere ſimplicem & immodice liberum fuiſſe.* His verbis iterum incenſa eſt ira Eudoxiæ, quam quoque nihil diſſimulauit, & reuocatus Theophilus cum ſuis; qui miſit tres epiſcopos, Chryſoſtomi deſignationem vrgentes ex eo, quod contra canones eccleſiaſticos thronum epiſcopalem conſcenderit, antequam per Synodum legitime confirmaretur. De his canoni-

Synodo quadam fecerant cum aliquan-
 diu disceptatum esset, Imperator tandem
 consentiens cum aduersariis eius, edixit,
 vt in exilium abiret Chrysoftomus, lo-
 cum suum cedens *Arsacio* Nectarii fratri,
 quod & lubens fecit. Secutus rursus est
 ingens tumultus in vrbe, & ecclesia, in
 qua docuerat, incendio subito orto con-
 sumpta est cum aliis pluribus palatiis. Au-
 ditores Chrysoftomi & amici eius, cum
Arsacio communicare nolentes, misere
 vexati, alii a militibus extra urbem op-
 pressi sunt, cum in sylua quadam conue-
 nirent. Secuta quoque est dissensio in
 ecclesia Constantinopolitana, quæ post
 aliquot demum annos vix sopita est.
 Chrysoftomus in exilio varie afflictus ab
 aduersariis, sed ab amicis iterum resectus,
 DEO clementer prouidente, scripsit ad
Innocentium episcopum Romanum, eique
 suam causam commendauit. Is suscepit
 patrociniū eius, & apud *Honorium* Im-
 peratorem obtinuit, vt scriptis ad *Arcadi-
 um* fratrem pro Chrysoftomo literis, sua-
 deret causam eius in alia legitima Synodo
 examinandam & iuste decidendam esse,
 quam impediuit Eudoxia cum aduersariis
 eius. Interim mortuus est in exilio, a
 militibus duriter habitus prope *Comanā*,
 ibique in sepulcro martyris Basilisci sepul-
 tus. Vnde reliquię eius postea imperan-
 te

te Theodosio iuniore, Arcadii filio Constantinopolin rursus translata, & scripta cum memoria eius apud posteros magno in pretio habita sunt.



CAP. III.

DE

DOCTRINA ET FIDE EJVS.

§. I.

AMplexus & confessus est doctrinam veram Ecclesie Christi, Apostolicam, uniuersalem & orthodoxam, in sacris literis traditam & comprehensam, & potissimum in concilio Nicæno eo tempore contra Arianos & alios hostes veritatis repetitam, quam noverat ab Athanasio, & aliis orthodoxis episcopis hætenus propugnata esse. Eam ipse non solum a teneris fideliter haufit, sed vna cum aliis ecclesie piis Antistitibus docuit, contra Judæos, Gentiles, Anomæos, & reliquos tunc temporis hostes Ecclesie constanter defendit, & accurata vitæ πολιτεία seu conuersatione ornauit. Quod iam paucis de principalioribus fidei articulis iuxta Symbolum Nicænum speciminis loco ostendemus.

C 3

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

Credo in unum DEVM, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terre, visibilium omnium & invisibilium.

§. 2. De DEO itaque ejusque essentia docuit quod sit

I. SPIRITVS. Ioh. 4, 24.

Nempe nobilissimus, excelsissimus, gloriosissimus. Et ut verbis ejus hic utar, *ἀσώματος, incorporeus, ἀπλῆς, simplex, ἀσύνθετος, incompositus, ἀσχημάτιστος, sine omni figura aut similitudine, πάντα ὑπερβαίνων, omnia transcendens, ἀνώτερος τῆς κτίσεως ἀπάσης, omni creatura superior. Et quod ideo nobis sit ἀόρατος, invisibilis, ἀνεκδιήγητος, inenarrabilis, ἀκατάληπτος, incomprehensibilis. Id quod ex sacris literis demonstrat, inter cætera adducens dicta Ioh. 1, 18. DEVM nemo vidit unquam, Ὁνigenitus Filius, qui in sinu Patris est, ille ἐξηγήσατο exposuit. Unde probat, essentiam divinam absconditam esse ab oculis & intellectu omnium hominum, sanctissimorum quoque, imo omnium Angelorum & Archangelorum, nisi quatenus per συγκατάθεσιν seu condescensum se illis manifestat, soli Filio, & Spiritui S. plene cognitam. Gratiam DEI S. Paulus donum appellat inenarrabile. 2. Cor. 9, 15. Si dona Dei, ait, sunt inenarrabilia, multo magis essentia Dei. DEVS habitat in luce inaccessibili.*

bili. 1. Tim. 6, 16. Si lux, in qua habitat, est inaccessibilis, multo magis habitantis in ea essentia Dei. *Ita loquitur S. Paulus, ait, non ut DEVM loco aliquo circumscribat, sed ut τὸ ἀπεριώητον αὐτῶ, essentiam eius spiritua- lem incomprehensibilem aliquo modo descri- bat.* Certum igitur est, DEVM omnia com- prehendere, a nemine posse comprehendi. Interim tamen incomprehensibilis & glo- riosissimus DEVS habitare vult in ani- mis fidelium contritis & humilibus Esa. 57, 15. Et diligentibus se promisit manife- stationem sui, nempe in hac vita semper clariorem, donec ad beatificam visionem in cœlum eos recipiat. Ioh. 15, 21.

Homil. 4.
de incom-
prehensib.

§. 3. Principium hoc fidei, ad praxin deductum, monet nos (1) cum DEVS sit Spiritus, ipsum *etiam in spiritu & verita- te adorandum esse*, docente ipsomet Serua- tore nostro. Docuit & hoc Chrysof- tomus, omnem superstitionem in externis ritibus & ceremoniis, tam Gentilium, quam Iudæorum, omnemque hypocrisin falso- rum Christianorum, ore appropinquan- tium DEO, & corde adhærentium mun- do, reiiciens, & veram ac viam fidem ac devotionem requirens. *ποίαν ἔξεις συγγνώμην, χριστιανὸς ὢν ἐξ ἡμισείας; Qua- lem habebis veniam, alloquitur Iudaizan- tes, cum Christianus fueris ex dimidio? Cum Judæis, amisso nucleo retinentibus cor- ticem*

Orat. ad
Judaizan-
tes, & cum
illis jeju-
nantes.

ricem externarum ceremoniarum, rejicit illos Christianos, qui ore tenus saltem & externis gestibus, non cordicis, & internis mentis cogitationibus & affectibus DEVM colunt. (2) Cum *Deus* sit Spiritus, *spiritualia magis bona*, quam *corporalia* in cultu diuino sunt quærenda, & animæ potior quam corporis cura est habenda. *Nemo*, ait, *eo tempore* (quando in templo stans orat) *temporalia cogitet*, sed *omnia terrena animo exterminans*, & *ad cælum se totum erigens*, quasi throno DEI adstans, cum *Seraphim volans*, *sanctissimum* (πανάγιον) *hymnum glorioso & magnificentissimo DEO offerat*. (Hortatur, vt deuote cum ecclesia cantetur illud: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. ante S. communionem cani solitum, vbi fideles gloriosam Christi θεαυ-
Spώπs præsentiam cum Angelis credebant & reueriebantur.) Vt Regem terrenum non honorat, qui ab eo vilia & puerilia petit, sic DEVM gloriosissimum parum colit, qui non spiritualia DEO digna, sed semper corporalia & caduca rogat.

§. 4. Cum DEVS sit Spiritus incomprehensibilis, habitans in luce inaccessibili, habitare cupiens in cordibus fidelium contritis & humilibus, eaque illuminare per media ordinaria verbi & sacramentorum; monemur (3) DEVM non esse fugiendum, nec semper manendum, in

Orat. 4. de
 Incom-
 prehensib.

in tenebris ignorantia, sed credendum esse verbo eius, accedendum ad thronum gratia, & amplectendam gratiam eius, corde contrito & resipiscente, cum timore & tremore in conspectu DEI sanctissimi, ignorantiam suam semper agnoscente, & ad veram agnitionem DEI aspirante inque ea semper proficere cupiente. Sicut enim Regibus displicent proterui, elati, & contumaces, regiam non reuerentes maiestatem; ita DEO displicent, qui propriis viribus eum cognoscere volunt, & propria sapientia turgidi dicunt, *se cognoscere DEVM*, cum potius dicere debebant *se cognosci a Deo*. Gal. 4, 9. & irreuerentius irrumpere conantur in sacrarium DEI. *Angeli in caelis DEVM intuentes glorificant*, ait Chrysofomus, *homines in terris eum contemnunt. Vides, quantus sit tibi timor, quantus sit hic contemptus? Illi facies suas abscondunt, hi impudenter intueri contendunt ineffabilem eius gloriam. Quis non suspiraret, quis non deploraret extremum hunc stuporem & hanc amentiam. Equidem (pergit) dicens, ex parte cognosco, quamuis dicam, abrogatum iri agnitionem, tamen ad meliorem & perfectiorem transeo, cum abrogata imperfecta sequetur perfecta. Is vero, qui dicit, se perfectam hic habere agnitionem, quando postea ipsi fatendum est, quod haec sit in futura vita abroganda, vacuum se ostendit esse*

Orat. I.
de incom-
prehensi-
bili.

esse omni agnitione, & hac, abroganda, & altera olim introducenda perfectiore, cum hanc in terris putet esse talem. Atque sic omni vera se priuat hic & illic agnitione DEI. Præstat ergo suam agnoscere & fateri hic in diuinis ignorantiam, quam iactare scientiam; sed ita, vt parati semper quoque simus sequi ductum DEI ab imperfecta ad perfectam sui agnitionem, quantam in cælo anima nostra capere poterit, nos per media ordinaria ducere cupientis. Nam ex parte hic cognoscimus. Quando vero venerit perfectum, tunc quod ex parte est abrogabitur. I. Cor. 13, 10.

§. 5. Credidit & docuit, quod DEVS sit
II. SPIRITVS ÆTERNVS

Colligens & probans hoc cum aliis patribus istius æui ex nomine DEI essentiali IEHOVA. Sicut, ait, ex eo, quod ad Mosén dictum est: Ἐγὼ εἰμι ὁ ὢν, sum, qui sum, τὸ αἰδίον, DEI eternitatem accipimus; ita ex hoc dicto, qui est in sinu patris, æternum esse (Filii DEI) in sinu Patris, accipere possumus. Ὁ ὢν, qui est sc. ab æterno & manet in æternum, ἀναλλόωτος, immutabilis, ἀφθαρτος, incorruptibilis, ἀπερίγραπτος, incircumscriptus, nullis locorum aut temporum cancellis inclusus, infinitus immensus, omniscius, omnipræsens, maiestate sua diuina cælum & terram replens. Ierem. 23, 24. Omnium temporum
rum

Hom. 4.
contra A-
nomæos.
De in-
compre-
henfib.

rum & seculorum periodos determinans.

Vnde dicitur βασιλεὺς αἰώνων ἀφθαρτος ,
Rex seculorum incorruptus. 1. Tim. I. v. 17.

Quia DEVS regit omnia secula, præteri-
ta, præsentia & futura, & licet secula
quædam sint corrupta, DEVS tamen ma-
net incorruptus, & omnia potest restituere.

Hic magis admirandus & adorandus,
quam scrutandus est DEVS. Quis

enim æternitatem animo concipere pote-
rit? vt sobrie & vtiliter hoc, quod s. scri-

ptura docet de æternitate essentia DEI
meditemur, Chrysofomus huc applicat

illud Psalmi 139, v. 6. ἐθαυμασώθη ἡ γνῶσις
σὺ ἀπ' ἐμοῦ. Mirabilis est scientia præ me. Et

v. 14. Confitebor tibi, ὅτι φοβερῶς ἐθαυμα-
σώθης, quod tremendis modis mirabilis factus

es. Quid est, ait, φοβερῶς? multa mira-
mur nunc, sed non cum tremore; statuarum,

pulchritudinem, parietum picturam, corpo-
rum florem. Miramur quoque maris ampli-

tudinem, & profunditatem inexploratam,
sed cum aliquo timore, quando in eam oculos

defigimus. Sic & hoc loco Propheta, quando
inexploratum & imperuium pelagus diuina sa-

pientia intuetur, vertigine quasi corripitur,
& magno cum tremore admirans recedit, cla-

mans: confiteor tibi, quod tremendis modis
mirabilis factus es. Mirabilis est scientia præ

me; altior, quam vt sufficiens sim illi. Vi-
des æquitatem & candorem serui? confiteor

tibi,

Hom. I,
De in-
compreh.
DEI Nat.
contra A-
nom.

tibi, ait, propterea, quod incomprehensibilem habeam Dominum. Non quidem de essentia hic loquitur, (hanc enim incomprehensibilem esse, tanquam rem, quæ in confesso est, præterit,) sed loquitur περί τῆ πανταχῆ παρῆναι τὸν Θεόν, de Dei omnipræsentia, innuens, quod nec hoc sciat, quomodo Deus ubique adsit. Id patet ex sequentibus: si ascendero in cælos, ibi tu; si descendero in infernum, ades. Sed si propheta hoc non comprehendere valens, angitur & turbatur, extrema sane erit dementia, eos, qui tantam gratiæ mensuram non accepere, essentiam Dei curiosius inquirere velle. Hac ille.

§. 6. Quod cum timore consideratum comprehendendi non potest, cum humili veneratione credi debet. Et decenti fide acceptum & retentum in corde multum adfert momenti ad cordis & vitæ emendationem. Nam qui pie meditatur & credit, Deum esse æternum, (1) non præferet bona visibilia & temporalia inuisibilibus & æternis, sed perspecta bonorum mundanorum vanitate serio desiderabit æternam beatitudinem, quod desiderium amor terrenorum plerumque impedire aut extinguere solet. Qui visibilia saltem & terrena semper respiciunt, gentiles sunt. Christiani veri cum Apostolo non spectant ad ea, quæ videntur, sed ad ea, quæ non videntur. Quæ enim videntur temporaria sunt,

sunt,

sunt, quæ vero non videntur, aeterna. 2. Cor. 4, 18. Hæc verba explicans Chrysofomus, subiicit: *quam olim habebimus excusationem, si temporalia præ aeternis elegerimus? si dulce est præsens bonum, at non est perpetuum. Quod vero dolorem affert, perpetuum est, adeoque, qui hoc eligit, veniam apud Deum non consequetur.* Simul corripit homines profanos, eo tempore dicentes, quemadmodum nunc quoque Athei: *δός μοι τὴν σήμερον, ἢ λάβε τὴν αὐριον.* Da mihi diem hodiernum, & accipe tibi crastinum. *Ἐλλήνας,* ait, siue Græcos hæc dicere, mirum non est. Homines vero *πιστῆς,* qui fidem Christianam profitentur, ea nugari, quam veniam habebit? Prorsus enim in dubium vocas spes illas immortales, prorsus putas, eas in utramque partem disputari posse? (*ἀμφίβολα ταῦτα εἶναι.*) Et quomodo hæc venia digna sunt?

Com-
ment. in
h. l.

§. 7. Qui pie credit, & cogitat DEUM omniscium & cordium scrutatorem esse, (2) non indulgebit simulationibus & dissimulationibus cordis corrupti, sed veritatem loquetur in corde suo, tanquam DEO semper præsentem & inspicientem, & *ἀλήθειαν ἐν χριστῷ,* veritatem in CHRISTO, ac fidem *ἀνυπόκριτον,* sine simulatione, sectabitur & diliget. Eph. 4, 21. Ergo, addit h. l. Chrysof. *Ἔ hoc est Christum discere, cum discimus ὁρθῶς βίβν, recte vivere.*

Com-
ment. in
h. l.

Nam

Nam qui male vivit, ignorat DEUM, & ab eo ignoratur. Audi Apostolum alibi dicentem: DEUM fatentur, se nosse, sed operibus abnegant. Quam Judæorum hypocrisin quanto magis detestamur, tanto magis Christi veritatem diligemus. Qui pie credit DEUM omnibus locis presentem esse, (3) non solum in templo, in conventibus sacris, in usu verbi, & sacramentorum, atque ceremoniarum Ecclesiasticarum, vel ubi imagines sunt sanctorum, sed & extra templum, in ædibus privatis, in foro, in agro, in consortiis hominum, inter negotia, vocationis, vel ubi nullæ sunt imagines, sanctissimam DEI præsentiam reverebitur, & timorem DEI semper in oculis habens cauebit, ne peccet. Si enim ubique adesse DEUM credimus, ubique eum quoque timebimus. Idem docet Chrysostomus: ἵνα μὴ (ait) τῆτο γένηται, ἔχωμεν πρὸ ὀφθαλμῶν ἀκριβῆ τὸν τῆ Θεῶ φόβον. Ne hoc fiat, (nempe quod ante dixerat, abjecto DEI timore omnia mala sequi,) accuratum Dei timorem ante oculos habeamus. Nihil enim adeo corrumpit hominem, quam ubi hanc anchoram amiserit; sicut etiam nihil adeo prodest, quam cum semper eo respicit. Qui pie credit, Deum omni tempore presentem esse (4) non solum diebus dominicis & festis, sed etiam profestis, in omnibus operibus, in colloquiis & conviviiis,

Cōment.
in Rom. c.
I, 26.

viviis, inter edendum & bibendum, Dei omnipræsentis recordabitur, verbum Dei sancte tractare, & vera ac salutaria loqui studebit, ad Dei gloriam & proximi ædificationem. Nam si præsentibus hominibus (pergit) tardiores & cautiores sumus, ne labamur, si domestici nostri æquiores (præsentibus heris) erubescunt, caventes, ne quid agant inconveniens; Cogita, quanta nos inde fruemur mentis firmitate, sive conscientie fiducia, (πόσης ἀπολάυσομεν ἀσφαλείας) si Deum in oculis habuerimus. Et alibi: Quapropter quotidie fruamur verbi divini auditu, vel usu, ut verbo, tanquam falce (acuta) τὰ ὑλομα- νῆντα πάθη τῆς διανοίας) inordinate sup- pullulantes & stultas cupiditates mentis re- secantes, arbores frugiferae fiamus, & fructum feramus, suo tempore colligendum in horreum Regis, ad gloriam communis Domini & Cul- toris animarum nostrarum, & vitam nostram immortalem.

Ibid.

Homil. I.
de Provi-
dencia.

III. UNUS Essentia, TRINUS Personis.

1. Joh. V, 7.

TRES sunt, qui testificantur in cælo, Pa-
ter, Verbum, & Spiritus Sanctus, &
HI TRES UNUM sunt.

§. 8. Mysterium hoc S. S. Trinitatis
summum, a quo omnia reliqua fidei
mysteria dependent, cujus clarior reve-
latio

latio temporibus Mesſiæ reſervata, ab ipſo Salvatore noſtro & Apoſtoliſ traditum, in eccleſia N. T. prædicatum & creditum, in Concilio Nicæno contra Arianoſ repetitum & confirmatum, poſtea ab ortho-
doxiſ conſtanter retentum & deſenſum; Noſter etiam Chryſoſtomuſ in homiliis & ſcriptiſ ſuiſ paſſim tractavit, ex ſacriſ literiſ ſolide demonſtravit, explicavit, & contra obiectioneſ Aduerſarioꝝ vindicavit. Quod facile patebit legentibuſ homiliaſ eiꝝ, præſertim eaſ *περὶ ἀναταλάπτου*, de *Incomprehenſibili*. E quibuſ ut quædam iam adduxi, ita pauca addam, præſertim ex Homil. 5. ubi demonſtrat, Eſſentiam Dei incomprehenſibilem nulli creaturarum ſive in cælo, ſive in terra, ſed ſoli *filio DEI* & Spiritui S. plene & perfecte cognitam & perſpectam eſſe. Quod filio ſit cognita, probat ex Joh. 1, 18. *DEUM nemo vidit unquam: Unigenituſ filiuſ, qui in ſinu Patriſ eſt, ille expoſuit.* Et Joh. 6, 46. *Non quod patrem viderit quiſ, niſi qui eſt apud patrem, (ὁ ὢν ἐν τῷ Θεῷ) hic vidit patrem.* Hinc colligit, ſolum filium, (excluſiſ omnibuſ creaturiſ, non vero ſpiritu S. excluſo, quia iſ non pertinet ad partem oppoſitam creaturarum) plene videre & noſſe patrem, adeoque eiꝝdem cum eo eſſentiaꝝ divinaꝝ eſſe. Quod vero ſpiritu S. quoque ita ſit cognita eſſentia

sentia DEI, adeoque & is fit eiusdem essentia, demonstrat ex loco, I. Cor. 2, II. Quis hominum nouit ea, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est; sic etiam ea, quae Dei sunt, nemo nouit nisi spiritus Dei. Cum igitur soli Filio, & Spiritui Sancto essentia DEI plene sit cognita, solus Filius, & solus Spiritus Sanctus per sua organa Prophetas & Apostolos, mysteria haec DEI optime nobis revelare & exponere potuerit, quantum nobis scitu ad salutem necessarium est & sufficit. Et cum solus Filius & Spiritus S. ea nobis reuelauerit, ex solius Filii & Spiritus Sancti verbis mysteria illa haurire, & in iis acquiescere eaque credere nos deceat.

§. 9. Deinde explicat & vindicat locum I. Cor. 8, 5. 6. Vnde contra Gentilium πολυθεότητα Vnitatem essentiae & Trinitatem personarum probare solebant. Scimus quod nihil sit idolum in mundo, & quod nullus sit Deus alius, nisi vnus. Etiam si enim sunt, qui dicuntur Dii, siue in caelo siue super terra: sicut sunt (tales) Dii multi, & Domini multi: nobis tamen vnus (tantum verus) DEVS est, Pater, ex quo omnia, & nos in ipsum: & vnus (verus) Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia, & nos per ipsum. Obiiciebant Anomæi, hic Filium excludi, & Patrem solum dici vnum verum DEVM. Respondet non excludi

D

cludi

cludi Filium, quando dicitur εἰς θεός, unus DEVS, sed includi cum Spiritu Sancto, quia VOX DEI sit *essentialiter* accipienda, sicut quoque vox κύριος, DOMINVS. Alias fore, vt pater cum Spiritu S. quoque excludatur, cum dicitur εἰς κύριος, unus Dominus; quod absurdum; cum alibi in sacris literis sæpissime vox κύριος IEHOVA de vero DEO scripta reperiat. Alia igitur esse nomina DEI *essentialia* κοινὰ, toti *essentiæ communia*, quibus vtatur, Paulus, vt ostendat τὸ ἀπαράλλακτον τῆς ἰσότητος *immutabilitatem essentiæ*. Alia *personalia*, ἴδια, cuique personæ *propria*, quibus vtatur ἵνα τὴν ἰδιώτητα χαρακτηρίσῃ τῶν ὑποστάσεων, vt *proprietares characteristicam personæ* designet. Nomina igitur Patris & Filii esse h. l. *personalia*, DEI & Domini vero *essentialia*. Excipiebant Anomæi, cum vnus dicatur, DEVS, Pater ex quo omnia, sequi Filium esse quidem DEVM, sed *creatum*, non *in creatum*, non verum vel eiusdem cum Patre *essentiæ*. Respondit, sic secuturum quoque, Patrem non esse Dominum verum eiusdem cum Filio *essentiæ*, quod ἄτοπον. Postea adducit testimonia ex vet. Testamento, vbi Pater & vbi Messias promiscue θεός & κύριος dicuntur, & non nisi vnus verus DEVS intelligitur v. gr. DOMINVS DEVS tuus, κύριος εἰς, VNVS Dominus est. It. Domi-
num

num Deum tuū adorabis & illi soli seruias. It. Virgo concipiet & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, Deus nobiscum. It. Filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius, magni consilii Angelus, θεὸς ἰσχυρὸς, D E V S fortis. Quin imo locum Scr. S. monstrat, vbi nomen DOMINI simul Patri & Filio tribuitur, vt: dixit DOMINVS DOMINO meo, sede a dexteris meis &c. Hæc & plura ibi, & alibi passim, quibus vnā in DEO essentiam tres personas esse demonstrat. Sic memor admonitionis suæ, quam in λόγοις ^{λογ. 4.} περὶ ἱερωσύνης, de Sacerdotio, dederat, quomodo vnitas essentiæ ita sit docenda, ne Sabellius inde occasionem capiat, confundendi personas; & quomodo Trinitas personarum vrgenda sit, ne Arius inde ansam accipiat, negandi Homousian Filii; & quod dixerat: oportet nos illius ἀσεβῆ σύγχυσιν, impiam confusionem & huius μανιώδη διαίρεσιν furiosam diuisionem fugere, & vnā Patris Filii & Spiritus S. diuinitatem confiteri, sed addere τρεῖς ὑποστάσεις, tres personas. Quod inquam alios docuit, ipse semper obseruare voluit, omnes suas Homilias concludens his verbis: vt hoc bonum assequamur &c. χάριτι καὶ Φιλανθρωπία τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, δι' ἃ καὶ μετ' αὐτῷ πατρὶ δόξα, ἀμα τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Id contingat nobis per Gratiam & Dilectionem Domini nostri IESV CHRISTI, per quem &

cum quo Gloria sit Patri, & simul Spiritui S. in secula seculorum.

§. 10. Sicut igitur hic articulus fidei de Deo Trinuno in sacris literis fundatus, & ex iis rite perceptus solidum affert fidei fundamentum & inexhaustum piis mentibus solatium; Ita in eo maximum operæ pretium situm est, ut solide discatur & fide indubitata teneatur atque ad praxin quotidie deducatur. Et hoc quoque ostendit Chrysostronus, monens ut euitatis periculosis Arianorum scopulis, & profanis disputationibus ex curiositate, ambitione & contentione profectis (*Nam hanc arborem* (dicit de eorum doctrina) *Paulus non plantauit, Apollo non irrigauit, Deus non crescere fecit, sed plantauit λογισμῶν ἀκασπος περιεργία, cogitationum intempestiua curiositas, irrigauit ἀπονόιας τύφος maleuolentiae supercilium, crescere fecit φιλοδοξίας ἔρως, amor inanis gloria;*) euitatis inquam his scopulis, humili & tranquillo animo ad CHRISTI & Apostolorum Prophetarumque pedes confideamus, illorum verba perpendentes, illisque inhærentes. Neque sufficit ea sola legere & audire publice in ecclesia, sed addenda quoque est pia explicatio, sedula cum aliis collatio, & domi fidelis repetitio & exercitatio. Sic in discendo fugiendam esse docet non solum Gentilium crassam ignorantiam, &

cæci-

Homil. 3.
de Incom-
preh,

cæcitatem, non solum Iudæorum incredulitatem & cordis duritiem, sed & falsorum Christianorum περιεργίαν seu curiositatem, & huic contrariam παθημίαν seu indilcendo *tadium* & negligentiam, & in meditatione verbi diuini quotidie constanter & humiliter pergendum. Nam quia Christus ἐξηγήσατο enarravit nobis Patrem, quem solus videt & optime nouit, necesse est, vt eius verbis inhæreamus, eaque sancte & continuo ruminemus, ac in mente voluamus, si velimus proficere in fide & agnitione DEI. Cum sancti Apostoli, quod ipsi viderunt, quod audiuerunt, quod spectarunt, quod manus eorum palparunt, de verbo vite, nobis annunciarint, vt communionem habeamus cum ipsis, communio autem eorum sit cum Patre & cum Filio ipsius I. Ioh. I, I. 3. necesse est, vt ipsorum verba omnibus aliis verbis philosophorum, eruditorum, & potentium huius seculi longe præferamus; (Nam Apostolos ait, etsi Idiotas, pisces & σκηνοποιὸς tentoriorum confectores, in ecclesia coram DEO Reges esse, Ps. 68, 13. 15. Regibus huius mundi ἀνωτέρως sublimiores, idque passim inculcat,) & iis recte intellectis toto pectore credamus. Sic fore, vt per fidem communionem habentes cum Apostolis & omnibus sanctis in ecclesia, imo cum ipsa Sacrosancta Trinitate, quotidie

Homil. 2.
De In-
compreh.

augmentum fidei, agnitionis, charitatis & omnium virtutum, exauditionem precum & viuificum inde solatium hauriamus. Id innuunt quoque prima Symboli Nicæni verba: *Credo in unum DEVM*. Quæ de DEO Triuno reuelata sunt in sacris scripturis, mysteria sunt incomprehensibilia. Ergo credenda sunt, quæ comprehendere non possunt. Si quis credere noluerit, DEVM reuelantem non colit sed contemnit, idque suo damno. Quod monstrat exemplo Zachariæ sacerdotis, credere nolentis Angelo in templo, & propterea muti facti. *Quid facis, ait, o homo? Deus annunciat, & tu (nempe contradicens verbis Angeli) confugis ad aetatem, & senectutem obiicis? num senectus tua fortior est promissione Dei? num natura tua potentior est creatore natura? an nescis, verba eius esse opera efficacia? Verbum eius cælum fecit, verbum creaturam produxit, verbum eius Angelos fecit, & tu dubitas de generatione, (nempe filii tibi promissi?) ecce eris σιωπῶν, tacens. Lingua, qua usus es ad istorum verborum incredulitatem, accipiet suæ incredulitatis castigationem. Ergo (vt idem ait) quando Deus reuelat aliquid, ὁ μὴ θεῖ πολυπραγμονεῖσαι, quod non decet curiosius inquirere, πίσει παραδέχεσθαι χεῖρ, fide accipiendum est. DEVS Ter Optimus Maximus, inde, quod sit Vnus essentia, Trinus per-*

personis, agnoscitur quoque, quod sit, *perfectissimus, solus sapiens, beatus, sibi sufficiens*, nullius indigus, seipsum plenissime cognoscens, in seipso semper acquiescens & gaudens. Ergo nullibi vera beatitudo, nullibi vera pax, verum gaudium, nisi in Deo, & in illis, quos Deus secum vnit & beat. Ad hanc summam beatitudinem perducitur, qui vere & constanter credit. Qui non credit, ea seipsum priuat.

IV. *Creator, Conservator, & Governator totius Mundi.*

§. II. Haecenus de DEO *ad intra*. Iam de DEO *ad extra*, ubi se in operibus creationis & conseruationis omnium creaturarum patefecit, tanquam *Patrem omnipotentem, Factorem caeli & terrae, visibilium omnium & invisibilium*. Vnde de duobus praecipuis fidei articulis, de *Creatione & Prouidentia* hic agendum erit.

(I) *De Creatione.*

§. 12. Creatio caeli & terrae, omniumque in iis visibilium & inuisibilium est opus DEI *ad extra*, toti SS. Trinitati commune. Nam *ex ipso, per ipsum, & in ipsum omnia*, Rom. II, 36. Pater per Filium, Ioh. I, 3. in Spiritu Sancto, viuificante, Gen. I, 2. Psal. 104, 30. creauit omnia. Pa-

D 4

tri

De In-
compre-
hensibili
Homil. 2.

tri tamen potissimum hoc opus tribuitur, quia in eo *diuinam suam omnipotentiam & paternam bonitatem* clarissime patefecit, quod, sicut est fons & origo S. S. Trinitatis, ita quoque sit fons & origo omnium creaturarum, & omnis boni. *Omnipotentiam suam exeruit, dum ex nihilo omnia produxit, idque facillimo negotio, dicendo. Dixit, & facta sunt. Psal. 33, 9. Bonitatem, dum omnia adhuc sustentat, & portat verbo potentie suae, Hebr. 1, 3. Viden', ait, hoc caelum, quam sit bonum, magnum, quam vario siderum choro sit ornatum? quamdiu durauerit? Annos enim quinquies mille & ultra (πεντακισχίλια ἢ πλείω, sic iuxta versionē LXX. Interpretum) fecit, nec dum tanti temporis diuturnitas ei senium attulit; sed sicut corpus recens & vegetum florentem & maturam suam habet pulchritudinem; Ita caelum quoque eam, quam initio accepit pulchritudinem retinuit, & propter temporis durationem non est factum infirmius: sed caelum hoc bonum, magnum, lucidum, astris multis ornatum, durabile, & hoc usque permanens, Deus, quem tu curiosius scrutaris, & ratiocinationum tuarum circumscriptioni subiicis, quasi per lusum quis tuguriolum strueret, ita facili negotio fecit. Quod indigitans Esaias dixit: STATVENS COELVM, TANQVAM FORNICEM (καμάραν), ET EXPANDENS ILLVD TANQVAM TEN-*

TENTORIVM SVPER TERRAM. Si
 terram quoque vis aspicere, & hanc fecit ὡς
 ἄδεν, tanquam nihil, seu nullo negotio. CON-
 TINENS AMBITVM TERRÆ, ὁ ποιή-
 σας τὴν γῆν ὡς ἄδεν, FACIENS TER-
 RAM, SICVT NIHIL. Viden?, quomodo
 facillime fecerit, vt nihil, tantam ac talem?
 Considera, quot montium pondera, quot homi-
 num nationes, quot & quam altas arbores,
 quot vrbes, quot magnifica edificia, quot &
 quam varia quadrupedum & reptilium genera,
 in dorso, vel superficie sua ferat. Hanc tan-
 tam ac talem terram tam facile fecit, vt Pro-
 pheta nullum huius facilitatis simile exem-
 plum inueniens dixerit, eum fecisse terram
 SICVT NIHIL. Cum enim non satis esset,
 ex magnitudine & pulchritudine rerum visibi-
 lium Creatoris ostendere potentiam, sed multa
 restarent considerata circa magnitudinem,
 & potentiam illius qui omnia fecit, Propheta
 aliam inuenere methodum, qua pro viribus
 suis possent amplius quid manifestare nobis de
 potentia DEI. Qualis autem illa? Vt non
 solum τὰ μεγάλα magnificenciam creaturarum
 proponerent, sed & modum creationis dice-
 rent, vt ex utraque parte, nempe partim ex
 creaturarum magnitudine, partim ex creandi
 facilitate possemus dignam iuxta vires nostras
 cogitationem concipere de omnipotentia Dei.
 Diligenter itaque perpende non solum magni-
 tudinem rerum factarum, sed & facilitatem eius
 D 5 qui

qui fecit. Ea non solum de terra monstratur, sed & de hominum super ea natura. Pergit enim modo dicens: Continens gyrum seu ambitum terræ, & habitantes in ea, sicut locustas. *Modo*: Omnes gentes sicut gutta (stillans) de urceo, coram ipso sunt. *Noli obiter præterire hunc sermonem, sed bene explica, & perquire hoc dictum, Gentes omnes, Syros, Cilices, Cappadoces, Bitbrynios, ad Pontum Euxinum habitantes, Thraces, Macedones, totam Græciam, eos, qui in Insulis, qui in Italia, qui ὑπὲρ τὴν ὀικημένην ultra orbem habitabilem seu fines Romani Imperii, qui in Insulis Britannicis, Sauromatas, Indos, qui Persarum inhabitant terram, & alias ignotas nationes, quarum ne nomina quidem nouimus: omnes inquam has gentes esse sicut guttam de urceo coram ipso. Dic mihi, quantilla pars huius guttae es tu, qui περιεργάζῃ τὸν Θεόν, curiosius quam decet Deum scrutaris, cui omnes gentes sunt tanquam gutta de urceo?*

§. 13. Articulus hic sine inutili curiositate sancta fide receptus multum proderit ad Deum rite colendum. (1) Docebit nos soli Deo confidere, qui fecit nos, ipsum solum adorare, illi soli seruire, non potentibus & diuitibus huius seculi; multo minus sanctis defunctis, quoniam non fecerunt nos, neque nos sustentare aut iuuare possunt. Iuuat quidem memoria virtutum eorum, ut eos imitemur; Sed

Sed

Sed si eos ut Patronos, ut Numina tutelaria venerari velimus, non solum nil iuuant nos, sed si rediuiui apparerent, obiurgaturi nos essent, tanquam imitantes non eorum fidem, sed potius Gentilium Idololatriam, quam suis temporibus oppugnarunt, & quam Deus ex Ecclesia remouit, & olim aboluit. Grauiter in tales superstitiosos inuehitur Chrysofomus, tanquam ad Gentilismum relapsos, in Homiliis de fato & prouidentia, dicens: *Infideles, ad ligna & lapides ductos, iisque seruietes hoc morbo laborare, mirum non est. Eos vero qui ab hoc errore liberati sunt & ab hac seruitute, qui digni habiti sunt cognoscere τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν, τὸν ἀληθῆ καὶ ὄντως Θεὸν, Deum supremum & verum, ex quodam quasi refluxu, ad illam retrahi fluctuationem, ratiocinationem & insaniam, hoc est peccatum grauisimum, multis lacrymis & lamentis dignum.* Alibi docet exemplo Gentilium Idololatrarum, quam facile mens humana corrupta Dei Creatoris obliuisci, & creaturis adhærere soleat. *Cælum fecit Deus, ut mireris opus, adores Dominum. Sed alii τὸν ποιητὴν ἀφέντες, αὐτὸν τὸν ἄρανὸν προσεκύνησαν, Factorem relinquentes ipsum cælum adorarunt.* Solicite ergo cauendum est, si Deum recte colere volumus, ne creaturis eam mentis uenerationem, quæ soli Deo Creatori

Homil. 2.

Homil.
contra
eos, qui
quærun-
t, quare non
e medio
sublatus
fit Sata-
nas.

tori

Comm. in
h. l.

tori competit, tribuamus. Patres ita imitemur, ut soli Deo, Patri omnipotenti, firma cordis fiducia adhaereamus. *Fiamus igitur,* ait, *Ἔ nos τῶν ἁγίων πατρῶν, sanctorum Filii, sed magis fiamus ἢ Θεῶν πατρῶν, Ἔ Dei filii,* (nempe, ex quo, per quem, & in quem sunt omnia. Rom. II, 36.) *Quod enim hoc oporteat, audi, quid dicat S. Scriptura: Estote perfecti, sicut Pater vester in caelis. In necessitatibus nostris ad Patrem potius, quam ad fratres eamus. Nam Solus est omnipotens, omniscius, & potest; Solus est benignissimus Pater, ex quo omnis Paternitas in caelis Ἔ super terra nominatur, & vult nos iuuare.*

Comm. in
h. l.

§. 14. Solus Deus Triunus est fons & origo omnium bonorum, ex quo, & per quem omnia fiunt, Ἔ in quem omnia redeunt, quæ nos iuuant & beant. Hoc si vere credimus (2) *Soli Deo in omnibus dabimus gloriam, & nomen eius solum, sanctificabimus, non nostrum, non Patrum nostrorum, non sociorum nostrorum, cæteris hominibus in mundo exclusis. Ita enim Apostolus h. l. addit: Ipsi sit gloria in secula. Amen. Postquam, ait Chrysoft. aliquid eiusmodi magnum Ἔ ineffabile dixit, admirans in glorificationem desinit. Idem facit de Filio agens, ibi quoque admirans idipsum, quod h. l. addit: Ex quibus est Christus, secundum carnem, qui est ἐπὶ πάντων Θεός, summus verus Deus, benedictus in secula. Amen.*

Amen. *Hunc (Apostolum) & nos imitemur, & ubique Deum glorificemus, διὰ τῆς κατὰ τὸν βίον ἐπιμέλειας, per studium vitæ, (sanctæ,) neque Patrum virtutibus confidamus (gloriantes) cum notum sit nobis exemplum Iudeorum. Non confidamus ergo Patrum bonis operibus, sed quamuis eum qui genuit te, magni aestimes, ne putes istud tibi sufficere ad salutem, aut ad honorem & gloriam, nisi cognatus ei fias secundum mores, (nempe spirituales seu Christianos, fidem & vitam vere sanctam.) Prodest hoc obseruare contra eos, qui pertinaciter opinionibus & moribus Antecessorum adherentes, omnia sua & suorum ita iactant, vt ea, quæ sunt aliorum, prorsus & promiscue reiiciant sine discrimine, veri & falsi, boni & mali. Nam huiusmodi homines tenebris ignorantiae suæ immorantes & immorientes nunquam peruenient ad veram Dei agnitionem, nec rite colere Deum gloriosissimum, Patrem omnipotentem, Factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium, nec ipsi soli rite gloriam dare poterunt, qui plura fecit in cælo, & in terra, quam quæ nos comprehendere valemus.*

§. 15. *Haëtenus in genere de creatione. Iam in specie de creatione inuisibilium Angelorum, & visibilium hominum. Inuisibilium Angelorum choros in cælis Deum*

Homil. 2.
de Incom-
prehensib.

Deum creasse, plures & gloriosiores, quam
vt a nobis comprehendi possint, ex sacris
literis docuit, *Ascendamus, ait, supra cælum*
sermone, & ad Angelos veniamus. Nostis e-
nim forsitan hoc, quod visibili huic creatura, v-
nus Angelus solus equiparandus, imo maioris
quoque dignitatis sit. Nam si totus Mundus
non est dignus hominis iusti, quemadmodum,
Paulus ait, (Hebr. II, 38.) quanto magis
non erit dignus Angeli, multis enim iustis An-
geli sunt maiores. Myriades Myriadum in cæ-
lis sunt Angelorum, & Chiliades Chiliadum,
Archangelorum, & throni, & dominationes,
& principatus, & potestates, & incognitæ
multitudines potestatum incorporearum, &
tribus, ineffabiles; Has vero omnes tanta fa-
cilitate condidit, quanta nullum verbum pro-
ferri potest. Suffecit enim ei ad omnia solum
velle. Et sicut nobis velle, seu actus volun-
tatis non parit molestiam, ita nec DEO crea-
re tantas & tales potestates. Id ipsum in-
nuit Propheta dicens: Omnia, quæcunque
voluit fecit in cælo & in terra. Vides,
quod non solum ad creationem eorum, quæ in
terra sunt, sed earum quæ in cælo sunt pote-
statum suffecerit ei sola volitio (Θέλῃσις.) A-
libi inquit: Sunt & aliæ potestates, quarum
neque nomina nouimus. Sunt Angeli, & Arch-
angeli, & throni, & dominatus, & principa-
tus, & potestates. Sed hæc solæ non omnem
multitudinem in cælis constituunt. Sunt præ-
terea exercitus incogniti, classes ineffabiles,
quæ

Homil. 4.
de Incom-
prehensib.

statum suffecerit ei sola volitio (Θέλῃσις.) A-
libi inquit: Sunt & aliæ potestates, quarum
neque nomina nouimus. Sunt Angeli, & Arch-
angeli, & throni, & dominatus, & principa-
tus, & potestates. Sed hæc solæ non omnem
multitudinem in cælis constituunt. Sunt præ-
terea exercitus incogniti, classes ineffabiles,
quæ

1189

que nullis verbis exprimi possunt. Vnde vero patet, esse alias plures potestates, quarum nomina nescimus? Paulus, qui illas dixit, & has innuit, dicens de Christo: Collocavit eum supra omnem potestatem, principatum, & exercitum, & omne nomen, quod nominatur non tantum in seculo hoc, sed & in futuro. Videtis esse nomina, quæ illic demum nota fient, hic iam abscondita? Ideo dixit: non tantum in hoc seculo sed & in futuro. Hæc qui credit, non curiose scrutabitur, sed admirabitur Angelorum ineffabiles multitudines, ordines & classes, creatas ad manifestandam immensam DEI gloriam, quam Angelorum chori propius adstantes non comprehendunt, sed adorant, faciebus præ nimio maiestatis splendore obtectis; multo minus nos homines terrigenæ comprehendere poterimus, ideo simpliciter verbis S. Scripturæ credere, eam sancte tractare, ad pedes Apostolorum & Prophetarum sedere, & ab eis semper discere, non eos temere iudicare debemus. Ita non supra id quod scriptum est sapientes, nec ea, quæ scripta sunt, negligentes, in timore & agnitione Dei proficientes, tandem eo perueniemus, ubi Deum cum Angelis in æternum celebrabimus.

§. 16. *Hominem*, inter creaturas visibiles vltimum & præstantissimum opus Creatoris,

toris, creatum esse ad imaginem DEI, in perfecta iustitia & sanctitate, introductum in Paradisum, marem & foeminam, constitutum Dominum creaturarum visibilium, his omnibus subiectis pedibus eius, & benedictione ad multiplicationem generis sui ornatum, adeoque, in Protoplastis totum genus humanum representatum esse, docet passim, praecipuis Comment. in Gen. 1. & 2. Hoc ut verbis eius prolixius adductis probetur, necessarium non erit. Saltem ad praxin huius articuli observatu utile erit, quomodo nos homines consideratione dignitatis nostrae primitivae dehortetur a vita beluina & carnali, & adhortetur ad vitam spiritualem. *Non sicut brutis, ita nobis corporis figuram Deus formavit, sed sicut decebat corpus, animae rationali & immortalis servitutum. Quare enim omnium brutorum oculos deorsum spectantes fecit Deus; Tibi vero (o homo) in capite, tanquam in arce summa, eos posuit? Nonne ideo hoc fecit, ut, cum illis nihil sit commune cum caelo, inde disceres, tibi maxime legem, τὰ ἄνω περισκοπεῖν, superna spectandi, & a DEO, & a natura initio positam esse? Quare tibi fecit corpus erectum, illis vero rursus ad terram inclinatum? Nonne eandem ob causam, ut hac corporis formatione doceret te, nihil*

Homil. 1.
de Provi-
dentia.

nihil commune habere cum terra, nec adhaerere praesentibus negotiis (huius vitae?) Non prodamus igitur hanc nobilitatem, neque ad brutorum ignobilitatem detrudi nos sinamus, ne & de nobis dicat S. Scriptura: Homo cum in honore esset, non intellexit. (Psal. 49, 21.) Nam delictis, diuitiis, honoribus & praesentis vitae negotiis felicitatem metiri, non est hominum respicientium propriam suam nobilitatem, sed hominum in equos & mulos degenerantium.

(2) De Prouidentia DEI.

§. 17. Sicut mundus creatus est per omnipotentiam DEI, & conseruatur per Bonitatem eius; Ita regitur & gubernatur per Sapientiam DEI. Est ergo Prouidentia DEI, quam contra Epicurarios & Atheos sui temporis, omnia coecae fortunae tribuentes, docuit, & eorum ἀνοικαν seu amentiam retudit hoc simili: sicut nauis in mari, paucos saltem nautas & viatores habens, ne unicum quidem stadium progredi potest, quin versetur in periculo submersionis, sine manu gubernatoris: Ita totus hic mundus, tot habens corpora, ex diuersis composita elementis, non potuisset tam diu stare & perdurare, sine sui interitu, nisi regeretur Prouidentia Dei, praesentis semper, & omnia complectentis ac continentis. Hoc adeo manifestum esse docet, vt ἔχ' ἔτως ἡλιος φανῆς, ὡς ἡ θεῶν πρόνοια σαφῆς, non sol sit ita manifestus, quem-

E

quem-

quemadmodum Dei Prouidentia. Quin imo sicut insanientes non digni sunt, quibus respondeatur, ita dicentes, non esse Deum, responsione indignos iudicat. Cum autem haec Prouidentia DEI circa omnia in Mundo, circa bona & mala versetur, originem mali, non *fato*, vt multi veterum Philosophorum opinati sunt, quam opinionem Manichaei interpolant, tunc temporis Ecclesiam turbantes, sed *lapsui* Angelorum quorundam, & Protoplastorum ab iis seductorum, tribuendam esse, & hos, nemine necessitante, sed sua libertate abufos sponte lapsos esse, ex sacra scriptura docet. *Diabolum*, Principem quendam Angelorum cum suo exercitu, a DEO creatore suo deficientem, lapsum, & coelo eiectum, *πονηρὸν malum κατ' ἐξοχήν* dici, ait, sed ἢ φύσει, ἀλλὰ προαιρέσει καὶ γνώμῃ, non natura, sed *proaeresei*, ἢ *spontaneo motu*. ἢ ἦν ἐξ ἀρχῆς, ἀλλὰ μετὰ ταῦτα ἐγένετο, non erat ab initio, sed postea factus est. Vnde & ἀποστάτης *Rebellis* dicitur. Haec nomina *Diabolus*, *Malignus*, *Apostata*, ait, ἢ φύσεως, ἀλλὰ προαιρέσεως, non naturae, sed *malitia sponte contractae* esse. A Diabolo itaque omnium malorum in mundo originem arcessit, cum omnia quae Deus creauerat, valde bona essent, & a DEO optimo non nisi bona proficisci possent. Protoplastos in Paradiso a Diabolo in serpente seductos,

ductos,

ductos, sollicitatos quidem, non vero necessario, sed sponte lapsos esse, sua culpa superatos, cum resistere potuissent, tentationibus eius, iustitiam originalem & Paradisum amisisse, peccatum induisse, mortem elegisse, cum aliis orthodoxis Patribus docet. *DEVS*, ait, *praeuidens quidem, quod donum perdituri essemus, tamen dedit; Illi vero, quibus istud concedidit, κακοὶ περὶ τὴν παρακαταθήκην ἐγένοντο, mali facti, male custodiuerunt depositum. Deus οὐκ ἐξέβαλε τῆς δωρεᾶς, non vi eripuit nobis donum, sed nos ἀπολέσαμεν τὰ δοθέντα, amisimus data. Eua impostorem Diabolum, malignum illum spiritum fide digniorem putauit esse, quam Dei praecepta, & solo aspectu arboris impulsam conculcauit legem sibi positam. Adam naufragium in portu fecit, omnia abiicit, quae habuit, fiduciam erga Deum, conuersationem in Paradiso, vitam sine miseria, & tanquam e naufragio nudus exiit. Non παρὰ τὴν τῶν πνευμάτων βίαν, propter Spirituum violentiam, sed παρὰ τὴν ἑπλέοντος ῥαθυμίαν propter nauigantis segnitiam, tota haec tempestas ei contigit.*

§. 18. Malum per Satanae malitiam, & hominis spontaneum consensum in mundum introductum multas peperit miserias & calamitates, quas *mali* nomine solemus appellare, sed per Prouidentiam DEI saepe fiunt *ocasio* resipiscentiae

& maioris boni. Hoc sensu a S. Scriptura eas Deo adscribi, & proprie non esse malum, (nam non permetteret Deus bonus fieri mala, nisi ex malis per sapientiam suam sciret elicere bonum) docet ex Amos 3, 6. ἔκ ἐστι κακία ἐν πόλει, ἣν Κύριος ἔκ ἐποίησε. *Non est malum in ciuitate, quod DOMINVS non fecit.* Κακία, malum, est ὁμόνυμον, plures habens significationes. Diuersae huius appellationis volo vos discere accuratam significationem, ne propter ambiguitatem nominis, rerum confundentes naturam in blasphemiam incidatis. Est igitur malum, ὄντως vere malum, scortatio, adulterium, auaritia, & millena grauis sima peccata, digna quae acerrime corripiantur & puniantur. Est rursum malum, vel potius non est, saltem dicitur, fames, pestis, mors, morbus, & huius modi alia. Haec non sunt mala, ideo addidi, ea dici saltem. Quid enim? si essent mala, non forent nobis αἰτία occasio bonorum, σωφρονίζοντα τὴν ἀπόνοιαν, aufferentia mentem malam, reddentia sanam, excidentia desidiam, & ad diligentiam nos reuocantia, atque attentiores reddentia. Haec igitur mala (vt dicuntur) poenae ita moderatur Prouidentia Dei, vt iis vtatur ad corrigenda & extinguenda mala culpae, a malitia Satanae & Mundi profecta, quae fiunt Deo permittente, non operante. Malum culpae non est, ait, ΔΕΙ ἔργον οὐκ, sed nostrae προαιρέσεως

ἀρέσεως ἔυρημα inuentum malitiae; Fit ta-
 men DEO permittente & postea puniente,
 πρὸς τὴν ἐκείνης ἀναίρεσιν κακίας, ad tollen-
 dam illam malitiam. Et Deus quando per-
 mittit, nihilominus manet bonus. Permi-
 fit Deus lapsum generis humani, quia vo-
 luit per Christum illud altius euehere, &
 hostem humani generis Satanam magis
 confundere. ἔδὲν ἦν ἐντελέστερον ἀνθρώπῳ,
 καὶ ἔδὲν γέγονε τιμιώτερον ἀνθρώπῳ. Nihil
 erat vilius homine, nihil factum est honora-
 tius homine. Sic e Paradiso eiectum esse
 docet hominem peccatorem, per Dei Φι-
 λανθρωπίαν & amorem, vt emendatus ma-
 iori cum honore reciperetur. Linguas
 confudisse Deum in aedificatione turris
 Babylonicae, & sublata ὁμοφωνία consensu,
 introduxisse in Mundum διαφωνίαν dissen-
 sum, vt peccatis aedificantium obstacu-
 lum poneret, & maiorem consensum in
 effusione donorum spiritualium redde-
 ret. Quod Similibus de Patre familias, fi-
 lium immorigerum domo eiiciente, do-
 nec castigatum per calamitates & emen-
 datum recipiat; de Vinitore, vites ampu-
 tante, vt melius crescant; de Medico, ae-
 grotum secante, vrente, vt sanet, &c. illu-
 strat. Tandem concludit, & hoc vult
 probe obseruari, ἵνα mentibus nostris semper in-
 fixum ἔμνημονοῦται, ὅτι καὶ ἐκ ἐυεργετῶν
 μόνον, ἀλλὰ καὶ κακῶν, ἀγαθός ἐστι, καὶ Φι-
 λάν-

λάνθρωπος ὁ Θεός, quod Deus non solum bene faciens, sed & castigans sit bonus & hominum amans. Nam castigationes ejus sunt μέγιστον ἐυεργεσίας μέρος, maxima pars beneficentiae, μέγιστον προνοίας εἶδος, maxima Providentiae species, e qua elucet eius sapientia, iustitia, misericordia & veritas.

§. 19. Atque hoc firma fide apprehensum multum afferet in vita utilitatis. (1) Si credimus, solum peccatum proprie esse malum, nihil timebimus praeter peccatum, eiusque occasiones sollicitè praecavebimus. Sic non timebimus paupertatem, ignominiam, carceres, morbos, mortem, freti Providentia Dei, quae contra omnia haec mala tutos nos praestabit, aut si quid huiusmodi nos experiri velit, diriget in bonum nostrum. Non timebimus quoque Satanam & tentationes eius, quia novimus, & has in bonum nostrum cooperaturas esse. Nam si quid Satanae permittit Deus, non sinit eum εἰς ἅπαν τῆ ὀικεία χρησάσθαι δυνάμει sua qua pollet potentia per omnia uti, saltem tantum permittit, quantum sufficit, ad finem Dei bonum, ut Satanae malitia manifestetur, & hominum salus procuretur, docet Chrysostronus. Quod notandum contra eos, qui superstitiose timent. Diabolum in minutissimis quibusdam animalculis, etiam serpentibus, dum colubrem domesticum proiectis micis alunt, eumque laedere nefas ducunt, & si quid

quid infortunii in ædib9 acciderit, id inde deriuare solent, quod laesus sit hic coluber, &c. Haec & huiusmodi plura reliquias esse Ethnicæ superstitionis, patet, ex moribus Tartarorum, aliorumque Barbarorum, qui Diabolum adhuc hodiernum colunt ne noceat. Timor hic superstiosus multum derogat vero Timori DEI, & dedecet hominem Christianum credentem Prouidentiam DEI. Quod docet in Homiliis *de Fato & Prouidentia*, & præprimis in Homilia contra eos, qui dicunt, quod *Daemones humana regant*. Quibus opponit Exemplum Iobi, & Historiam de porcis Gergesenis. Unde ostendit, si Daemones regerent humana, totum genus humanum iam dudum deglutitum fore. Et fideliter monet, cavendam esse eam blasphemiam, diuinæ Prouidentiae iniuriosam. (2) Si credimus, mala poenae seu calamitates venire a Deo, & Deum esse ac manere *Φιλάνθρωπον*, nostri amantem, quando castigat, nostramq; semper quærere salutem; non murmurabimus in aduersis contra Deum, sed omnia, quae quotidie contingunt, aequanimiter feremus; non proximum accusabimus & conuitiabimur, sed nos ipsos examinabimus, & culpam nostram agnoscentes fatebimur Dei iustitiam. Resipiscentes confugiemus ad Dei misericordiam, poenitentibus promissam, & petemus

mus remissionem culpae & mitigationem miseriae. Hac impetrata confitebimur Dei veritatem in comminationibus & promissionibus, & *ἀκριβῶς* accurate ambulantes, & sequentes ductum Spiritus Sancti, omnia nostra commitemus sapientiae diuinae. Atque sic tuti sub alis Gratiae acquiescemus in Paterna Dei Providentia, cui Triuno Deo fit gloria in seculorum secula!

ARTICVLVS SECVNDVS.

ET in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem, descendit de coelis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine: & homo factus est: crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus & sepultus est: & resurrexit tertia die, secundum scripturas: & ascendit ad coelos, & sedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus est in Gloria, iudicare vivos & mortuos, cuius regni non erit finis.

I. De

I. De vera Chriſti diuinitate & aeterna
generatione.

§. 20. Hunc articulum fidei, in Concilio Nicaeno explicatum & deſenſum, tanquam palmarium iſto ſeculo, praecipue tractauit, ex Sacris literis perſpicue demonſtrauit, & contra Arianos, Semi-Arianos, & horum Aſſeclas conſtanter vindicauit, cum aliis orthodoxis Patribus ideo vocatus *Homo-Vſianus*. Praeprimis legi poteſt homilia eius contra Iudaeos & Graecos, vbi e ſcriptis potiffimum Prophetiſis demonſtrauit, quod Chriſtus ſit Deus, & promiſſus Meſſias, omnia adducens loca S. Scripturae, quae de toto opere Redemptionis per Chriſtum impleto, iam quoque in Eccleſia Chriſtiana ſolent adduci. Quod vero ſit *Filius Dei vnigenitus*, eiusdem cum Patre & Spiritu S. eſſentiae, & *Maieſtatis*, & *ab aeterno genitus*, in alia Homilia ex ſacris literis demonſtrauit, & contra Anomoeorum exceptiones vindicauit. Quod ſpeciminis loco paucis attingemus. Excipiebant Aduerſarii: Ex eo quod dicatur Filius, non poſſe eius *ὁμοτιαν* probari, quia homines quoque dicantur filii Dei, v. gr. Pf. 82, 6. *Ego dixi: Dii eſte, & filii Excelsi omnes*. Reſpondet, corripiens eorum impudentiam, quod cum de Gloria Filii Dei vnigeniti ſermo ſit, non vereantur eum cum vilitate

tate nostra humana comparare, dicentes, quando nos filii dicimur, hoc non facere nos Deo ὁμοσίστος seu aequales. *Filius diceris tu?* (ait) *sed ille est.* ἐνταῦθα ᾧμα, ἐκείνη ᾧμα. *Hic nomen, ibi res ipsa est. Filius diceris tu? sed Unigenitus non diceris, sicut ille vocatur. Sed in sinu Patris non es, splendor gloriae eius non es, neque character personae eius; In forma Dei non es. Si igitur prius illud te non persuadet, persuadeant te haec & alia longe plura, Nobilitatem eius testantia. Quando enim vult ostendere, se habere unam & eandem immutabilem cum Patre essentiam, dicit: qui me vidit, vidit Patrem. Quando, se habere eandem potentiam: Ego & Pater unum sumus. Quando, se eadem cum Patre operari: Sicut Pater excitat mortuos & vivificat, ita filius, quos vult vivificat. Quando, se eiusdem esse cum Patre dignitatis, & adorandum: Ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. Quando vult ostendere, se habere eandem potestatem Legislativam, dicit: Pater meus operatur, & ego operor. &c.*

§. 21. Porro obiicientibus Anomoeis, si eiusdem cum Patre, omnipotente Creatore, essentiae & Maiestatibus esset, ipsum de se non tam humilia, quae non nisi creaturis & hominibus competunt, locuturum fuisse, ipsum non preces fusurum, (quod facit Ioh. 17.) respondet: Quando humilia de

de

de se testatur, dari posse conuenientes rationes, quare id fecerit; Nempe, vt testaretur, *se verum & naturalem esse hominem, non specie saltem humana apparuisse, vt nonnulli opinati sunt; se esse humilem corde, & voluisse omnibus hominibus verae humilitatis exemplar monstrare.* &c. Quales rationes contemni non possunt. Quando vero sublimia de se loquitur, transcendentia, omnem humanam & Angelicam conditionem, nullam aliam dari posse rationem, praeter hanc, *quod nos voluerit docere diuinam suam Maiestatem, & excellentiam, naturae diuinae.* Hanc rationem si quis reiicere velit, Christum iactantiae accusaturum esse. Quando enim magnus quis de se parua dicit, id humilitatis esse fatemur. Sed quando paruus quis magna de se loquitur, id iactantiae esse omnes dicunt. Preces vero eius quod attinet, inde non sequi, esse eum minorem Patre secundum diuinam naturam; sed esse opus Mediatorium, vbi vtraque Natura fecit quod suum fuit. Ex illis precibus, praesertim tempore passionis, (quo refert & illud: *Pater, si possibile est, transeat hic calix a me;*) partim diuinam, partim humanam naturam demonstrari posse. Quod suam passionem, proditorem Iudae, lapsum Petri, fugam reliquorum discipulorum praesciuerit & praedixerit, esse

se

se diuinae naturae. Quod in agone deprecatus sit calicem, esse humanae naturae, in statu exinanitionis extremae, fugientis sui destructionem, ex amore naturali, omnibus creaturis indito. Adeoque hinc manifestum fieri, quod non sit Deus minor Deo Patre, vt aduersarii dicebant, sed verus Deus & verus homo, Mediator & Redemptor noster, & tanquam Mediator noster, quoad humanam naturam in infirmitate sua ita precatuſ sit. *illi enim dicunt, ait, ὅτι τῆς θεότητος ἐστὶ ἡ εὐχή;* Quod Deitatis sint ille preces. Nos vero, ὅτι τῆς οἰκονομίας, quod sint Dispensationis, sc. in opere Redemptionis. Haec & huiusmodi plura ibi possunt videri. Vnde patet, quam fideliter articulum hunc de vera Christi diuinitate & aeterna generatione docuerit & vindicarit.

§. 22. Fideliter demonstratus ex Sacris literis hic articulus fundamentalis, & fidei corde apprehensus, maximum nobis affert gaudium & commodum in Praxi. Nam *primo* magnum affert lumen ad intelligendum verum S. Scripturae sensum, in qua hic articulus reuelatus est, & ad Deum inde salutariter agnoscendum. *Non solum, ait, in verbis Euangelicis, & Apostolicis, sed & in verbis Prophetis, & in toto Veteri Testamento euidenter licet cernere lucentem Gloriam unigeniti. Ad conuincendum*
non

non ſolum Anomoeos, ſed & Manichaeos (qui
 praedicatum quidem Chriſtum videntur reci-
 pere, ſed praedicentes eum Patriarchas & Pro-
 phetas reiiciunt) ſed & Iudaeos, qui praedice-
 res recipiunt, praedictum reiiciunt. Coecu-
 tiunt itaque cum Iudaeis & aliis erranti-
 bus in Sacris literis, qui Chriſti diuinita-
 tem in iis non vident, & ostendunt, quam
 ſint infelices, qui propriis naturæ viribus
 Deum recte agnoſcere ex iis cupiunt.
 Beati vero Chriſtiani per Spiritum S. illu-
 minati, Scripturam S. de hoc Articulo te-
 ſtantem recte intelligentes. Scite h. l.
 Chryſoſtomus: *Quaerimus an eiusdem po-
 tentiae, auctoritatis, eſſentiae filius ſit cum Pa-
 tre. Nos vero, ait, non quaerimus amplius,
 ſed inuenimus hoc per Gratiam Chriſti, &
 tenemus firmiter.* Fruuntur igitur Gratia
 Chriſti, qui eum credunt eſſe verum De-
 um, eiusdem cum Patre & Spiritu S. eſ-
 ſentiae & Maieſtatis glorioſae. Deinde
 magnam aſſert *fidei Chriſtianae dignitatem*
 & *praerogativam*, prae Iudaeis Gentilibus
 & aliis errantibus, Articulum hunc ne-
 gantibus. Nam Gentiles, multa colen-
 tes Numina; Iudaei vnum quidem no-
 biſcum credentes Deum, ſed non vnum
 confitentes nobiſcum Dominum ſeu Meſ-
 ſiam; Anomoei, & qui cum illis hodie-
 num conſentiunt, diſtinguentes Eſſen-
 tiam Patris & Filii, & hunc inter Creatu-
 ras

ras collocantes ; & omnes superstitiosi ,
 suis opinionibus & ceremoniis magis
 confidentes quam verbo Dei, quod plane
 non, vel perperam intelligunt ; Omnes
 hi, inquam, ad classem Idololatrarum re-
 feruntur, habentium alienos Deos prae-
 ter Deum verum Triunum. Nec iuuat,
 dicentes, se adorando Christum, Deum
 factum, non genitum, seu Creaturam, o-
 bedire Patri hoc praecipienti, atque sic v-
 ni saltem Deo seruire. Quoniam hoc
 Deus Pater praecipere non potuit, qui te-
 statur, *se honorem sui alteri*, adeoque Glo-
 riam adorationis Creaturae dare nolle ; &
 praeterea fides non soli vero Deo, sed Cre-
 aturae nitens, in tentationibus facile
 conuelli & destrui potest. Veri saltem
 Christiani, iuxta symbolum Nicænum,
 credentes in vnum Deum, Patrem omni-
 potentem, & in vnum Dominum Iesum
 Christum, Filium Dei vnigenitum, Patri
 ὁμοούσιον, per quem omnia facta sunt, &
 in Spiritum S. Dominum & viuificantem ;
 non possunt dici Idololatrae, quia Chri-
 stus est verus Deus cum Spiritu Sancto.
 Non credunt in Creaturam, nec redempti
 sunt per Creaturam Angelum aut homi-
 nem sanctissimum, sed per ipsum Crea-
 torem ; per eum credunt se redemptos
 esse, per quem credunt se factos esse.
*Pater, ex quo sunt omnia. &c. Dominus per
 quem*

Com-
 ment. in
 I. Cor. 8.

257

quem omnia. &c. Dupliciter facti sumus ex Deo, ait Chrysofomus, primo, homines, deinde fideles homines. Sic & dupliciter per Christum, totum genus humanum factum est, cum non esset, ut esset, & cum ab errore ad veritatem rediit; Adeo ut τὸ εἶ ἔ, ex quo non sit χωρὶς χριστοῦ absque Christo. Plura vide in Homilia de S. S. Triade Tom. 6. p. 960. Credentes igitur in talem Dominum & Redemptorem, qui cum Patre & Spiritu S. est verus Deus benedictus in secula; Nobilissimam habemus fidem, qua Deus nos ab omnibus populis superstitionis in Mundo segregavit; in tentationibus im- mote persistentem, in Petra fundatam, contra quam Portae inferorum non prae- ualebunt; qua Angelis sanctis sumus i- terum associati, quia adoramus Angelo- rum Dominum. Hanc ergo fidem Chri- stianam, ne Ethnicis aut Iudaicis aut alio- rum errantium aut hypocritarum errori- bus & superstitionibus maculemus, solli- cite docuit custodiendam esse.

II. De statu Exinanitionis Christi.

(a) De Incarnatione eius & veritate humanae Naturae.

§. 23. Filium Dei descendisse de coelis, & incarnatum esse de Spiritu S. ex Maria Virgine, & hominem factum esse, similem nobis per omnia, excepto peccato, & habi- tasse

Hom.
Quod ae-
qualis sit
Filius Pa-
tri, Tom.
6. p. 720.

tasse seu conuersatum esse inter homines, in similitudine hominum, & habitu inventum esse vt hominem; passim docet Chrysoftomus explicans haec loca Scripturae, & affirmans, quod carnem susceperit, non quali minor Patre, sed saltem humilis factus. *Existens in forma Dei, non rapinam arbitratus est, esse aequalem Deo, sed seipsum exinanivit formam serui accipiens.* Quid est, non rapinam existimauit esse? Qui aliquid rapuit sibi non competens, perpetuo id tenet, nec unquam deponere vult, timens, vt omittat, quia possessionis suae non est certus. Qui vero bonum aliquod habet, quod eripi non potest, etiamsi illud abscondat, non metuit. Idem innuens Paulus de Christo dicit: Cum natura esset ἐλεύθερος ἡ γνήσιος υἱός, filius nobilis & genuinus, non vt rapinam assecutus hanc aequalitatem, non veritus est eam abscondere, sed θαρσύνων secure assumpsit formam serui. Nouerat enim, nouerat optime, quod ἡ συγκατάβασις, Condescensio Gloriam eius minuere non posset. Non enim erat ἐπιείσασκε, accessoria, non κατὰ ἀρπαγμὸν δοθεῖσα, more rapinae data, neque aliena & non competens; sed φυσικὴ ἡ γνησία, naturalis seu congenita & genuina. Ad statum igitur exinanitionis pertinet eius incarnatio, vbi mansit verus Deus & factus est verus homo, θεάνθρωπος vna persona, duabus constans naturis. Quod aliis

aliis ſacrae ſcripturae locis probat, vt pu-
 ta 2. Cor. 8, 9. quem locum ſic interpre-
 tatur: *Sicut Dominus tuus pauper factus eſt,*
carnem indutus: Ita tu quoque pauper fias,
(bona elargiens pauperibus.) Nam ſicut
eius paupertas non laeſit gloriam eius, ſic nec
tibi nocebit ἢ τῶν χρημάτων πτωχεία, bono-
rum in pauperes elargitio, ſed multas pariet
diuitias. Alibi veritatem humanae Chri-
 ſti naturae adſtruit contra negantes eam,
 ex precibus in agone in horto fuſis: *Pa-*
ter ſi poſſibile eſt, tranſeat hic calix a me. Ve-
runtamen non quod ego volo, ſed quod tu vis.
 Hinc duas in Chriſto probat voluntates,
 diuinam, vbi voluit paſſionem ſuam, eam-
 que ipſe praedixit, quam voluit Pater; &
 humanam, paſſionem quidem reformidan-
 tem ex indito amore naturali vitae, volun-
 tati tamen Patris ſe ſubiicientem. Et ni-
 bil aliud, ait, ipſum oſtendere, quam quod re-
 vera ſit carne amictus, timente mortem. Ti-
 mere enim mortem, & reluctari, eſt carnis.
 Hanc modo vacuam relinquit propria (ſeu di-
 uina) virtute, ἵνα αὐτῆς δείξας τὴν ἀδύνατον
 πεινώσῃται αὐτῆς καὶ τὴν φύσιν, vt ex infir-
 mitate eius veritatem naturae oſtendat. Mo-
 do abscondit eam (ſc. infirmitatem carnis,) vt
 diſcas, ὅτι ὁ ψιλὸς ἀνδρῶν ἦν, quod non
 fuerit nudus homo. Si enim ſemper humana
 oſtendiſſet, nil niſi hominem fuiſſe, quis putaret.
 Et ſi ſemper ea quae ſunt diuinitatis feciſſet, ἢ

Homil.
 contra A-
 nomoeos
 6.

F

πισήθη

πισήθη ἂν ὁ τῆς οἰκονομίας λόγος, *negata esset doctrina de eius incarnatione, & opere redemptionis in humana natura impleto. Variat itaque & miscet dicta & facta sua, ut nullum erroribus, siue Pauli Samosateni, siue Marcionis & Manichaei, praetextum praebeat.* Διὰ τῆτο καὶ προλέγει τὸ ἐσόμενον ὡς Θεός, καὶ ἀναδύεται πάλιν ὡς ἄνθρωπος. Idcirco praedicat futuram exinanitionem in cruce ut DEVS, & rursus refugit ut homo.

§. 24. Christum verum Deum, seipsum exinaniuisse & factum esse verum hominem, omnibus humanis infirmitatibus, etiam morti, sine tamen peccato obnoxium, forsan non negabitur, nec pluribus probandum erit. Sed propter nos & nostram salutem eum esse incarnatum, & ut hominem inter homines conuersatum, id corde fideli apprehensum maximam affert in vita hac miseriae plena utilitatem, & dulcissimum solatium. Atque hoc ut pie meditemur, monet Chrysostronus, explicans 2. Cor. 8, 9. *Nostis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quod propter vos pauper factus sit, cum esset diues, ut vos ipsius paupertate ditesceretis.* Subiicit: *Considerate, perpendite, aestimate Gratiam Dei, non obiter percurrite, sed accurate disquirite eius magnitudinem, quanta sit, & nemini vestrum parcite.* Ille gloriam euacuauit, non ut diuitiis eius, *sed*

sed paupertate eius ditesceretis. Si non cre-
dis, ὅτι ἡ πτωχεία πλῆτ' ἐστὶ ποιητικὴ pau-
peratatem parere diuitias, aspice Dominum,
& non amplius dubitabis. Nam si is pauper
factus non esset, diues tu factus non esses. Hoc
enim admirandum est, quod paupertas eius cu-
mulauerit diuitias. Diuitias vero hic vocat
γνώσιν τῆς εὐσεβείας agnitionem verae pie-
tatis, purgationem a peccatis, iustitiam, san-
ctificationem, & millena, quae exhibuit nobis
& exhibebit bona. Haec omnia paupertate
eius parta sunt nobis. Quali vero paupertate?
Ea, qua carnem assumpsit, & homo fa-
ctus est, & passus est. καίτοιγε ἐκεῖν' & τὰυτὰ
ἐν ὧ φείλε' σὺ δὲ ὧ φείλεις αὐτῶ. Licet e-
nim is non indigeret his, tu tamen indiges &
iuuaris eo. Cum igitur propter nos id fe-
cerit Dominus, nobis illud applicemus,
inde agnoscentes Φιλανθρωπίαν & sum-
mam charitatem eius, in Christo solo lae-
temur & gloriemur. Nam in Adamo
quod amisimus, in Christo non solum re-
cepimus, sed & maiores gratiae diuitias
accepimus. Videns Nauem Adami Diabo-
lus, ait, hoc est, animam multis repletam bo-
nis, accedens, sola voce tanquam parua ferrea
cerebra, eam perforans, omnibus illis euacua-
uit diuitiis, & cymbam submersit. Sed De-
us maius hoc damno lucrum fecit, & ad thro-
num Regium nostram euexit naturam. Ideo &
Paulus clamat dicens: Simul excitauit &

Hom.
contra e-
os, qui di-
cunt, Dæ-
mones re-
gere hu-
mana,
Tom. 6.
p. 682,

simul collocavit nos in dextera eius in
 coelestibus, vt ostendat seculis venturis
 excellentes diuitias gratiae suae per be-
 nignitatem super nos in Christo Iesu. *Vi-
 de sapientiam Pauli, quot conquirat vocabula,
 ad commendandam Dei Φιλανθρωπίαν seu
 charitatem erga genus humanum. Non sal-
 tem vocat Gratiam, nec solum diuitias gratiae;
 Sed quid? EXCELLENTESS DIVITIAS GRA-
 TIAE PER BENIGNITATEM.* His ergo
 diuitiis merito laetamur & gloriamur.

§. 25. Sed vt hanc fidem puram & im-
 maculatam seruemus, & solo laetemur
 Christo Θεανθρώπω, saluatore nostro v-
 nico; non diuitiis, non honoribus, non
 pompis & vanitatibus Mundi, non ami-
 citiis potentium seculi, non denique An-
 gelorum aut sanctorum hominum siue
 viuorum siue defunctorum virtutibus e-
 rit laetandum & gloriandum, siue iis ali-
 qua mentis veneratione & fiducia adhae-
 rendum, quasi nos possent iuuare. Quia
 eiusmodi opiniones & affectus cordis
 abducunt nos a vera fide in Christum, &
 paulatim reducunt ad veterem supersti-
 tionem & Idololatriam, a qua Deus Mun-
 dum per Aduentum Christi in carnem li-
 beravit. Mundum totum fuisse Idolo-
 latricum, docet Chrysostronus, cum na-
 sceretur Christus, & totam creaturam fuis-
 se vanitati subiectam, non volentem; Van-
 tati

tati nimirum hominum superstitiosorum, creaturis abutentium. Angelos a Deo constitutos secundum climata Orbis, ut ea curarent, & sicut Moses quoque dicit, omnes Nationes, ut creaturam inanimatam ducerent, videlicet Solem, Lunam, Mare, Terram, & quae in eis sunt, ad inseruiendum hominum commodis. Hos inquit, offensos esse, seruietes hominibus indignis, & Dei iudicio obnoxiiis; maxime videntes, eos gloriam Domini Idolis tribuere, & profanare; Vinum quod terra dedit, & alios fructus Idolis sacrificare; adeoque τὰ μὴ ὄντα ἀντὶ τῶν ὄντων τιμᾶμενα, vana Numina pro vero Numine colere. Hac Idolomania totum orbem corruptum & contaminatum esse; πάντα τοῖς ἀνθρώποις ἢ κτίσις εἰς θεὸς ἀνεπλάττετο, totam creaturam ab hominibus in Deos mutatam esse; nihil vero creaturam a deo contaminare & adulterare, ὡς τὸ θεοποιεῖσθαι αὐτήν, quam eam Deificari. Διὰ ταῦτα, ait, εἰσῆλθεν ὁ σωτὴρ ἔκ κόσμου διὰ σαρκὸς ἐν αὐτῇ, ἢ ταύτην τῶν μυρίων τέτων ἀπαλλάξας μiasμάτων, ἀνεκαίνισε. Propterea ingressus est Saluator Mundi per carnem in eam, (creaturam) & a millenis bisce inquinamentis liberans eam renouauit. Per primum aduentum renouat creaturam, ut scias, eundem esse, qui ab initio eam condidit. Non enim alterius est creare, alterius corruptam renouare, sed utrumque opus eiusdem est sapientiae & artis. Hæc

Homil.
de Incarnatione
Christi,
Tom. 8. p.
144.
Deut. 32, 8.

Homil.
 Quod
 Christus
 sit Deus,
 contra Iu-
 daeos &
 Graecos.

alibi prolixius deducit & ostendit, quomodo tribus primis seculis post Christum natum Ecclesia cum Iudaismo & Gentilismo luctata, tandem victrix euaserit, & veritas Christi destructis Idolis, oppressis superstitionibus Iudaicis & Gentilibus tandem in Mundo triumpharit, quod suo tempore factum, potissimum grato animo, tanquam ingens Dei beneficium celebrat. Patet hinc quam sollicitè cauenda sit omnis etiam minima superstitio, qualis in cultu Angelorum & sanctorum defunctorum, ne villo modo relabamur ad opiniones & mores Gentilium vel Iudaeorum, a quibus nos aduentu suo Christus liberavit; Et quod illi soli adhaerendum, in Domino solo gloriandum sit, docente Apostolo; si iuxta Symbolum Nicænum cum Chrysofomo rite credere volumus in *unum Dominum, qui propter nos & nostram salutem descendit de coelis & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria virgine, & homo factus est.*

(β) *De passione & morte Crucis, ac ultimo exinanitionis gradu.*

§. 26. Quod Christus *crucifixus pro nobis, (nempe pro toto genere humano,) sub Pontio Pilato, passus & sepultus sit, passim traditur a Chrysofomo. Audiamus eum explicantem illud Ioannis Baptistae de Christo testimonium: Ecce Agnus Dei, qui*

qui tollit peccata Mundi. Nempe, ait, ille praedictus agnus. Et vide, non simpliciter dicitur agnus, sed additur, Dei. Cum enim & alius esset agnus Iudaicus, ideo dicit, quod hic sit agnus Dei. Ille offerebatur saltem pro Gente, hic vero pro toto orbe oblatum est. Illius sanguis Iudaeos saltem custodiuit a plaga corporali (Aegyptiaca;) Huius vero sanguis totius Mundi factus est *κοινὸς καθάρσιμος*, communis siue uniuersalis purgatio. Pro illis etiam qui pereunt, Christum passum esse docet. Adducta parabola de Samaritana misericorde, & addito Epiphonemate Christi, *Abi, & fac similiter*; pergit: Haec sunt verba Filii Dei, & haec per opera propria ueniens demonstrauit; non pro amicis solum, & suis mortuus, sed & pro inimicis, pro Tyrannis, pro impostoribus, pro osoribus, pro crucifixoribus, quos ante Mundi iacta fundamenta nouerat tales fore, & praeuidentem creauit, uincens praescientiam suam bonitate, pro his etiam proprium effudit sanguinem, pro his maculationem suscepit, uel uictima factus est. Nam panis, ait, est caro mea, quam ego dabo pro Mundi uita. Eadem Paulus scribens, ait: Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii. Et rursus in Epistola ad Hebraeos, ipsum pro omnibus, ait, gustasse mortem. In passione in horto & cruce ultimum fuisse gradum exinanitionis, non solum e loco Pauli Phil. 2, 8. Humili-

Hom. 6.
contra A-
nomoeos.

Homil. de
eo, quod
non dece-
at anathe-
matizare
uiuos &
mortuos.

Hom. 6.
contra A-
nom.

auit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, ad mortem crucis; sed & ex precibus eius in horto, saepe iam allegatis, demonstrat. Vbi τὸ ὅλον, ait, τῆς οἰκονομίας, καὶ τῆς κατὰ τὴν σάρκα ἀδυναμίας, totum hoc dispensationis (nempe in opere Redemptionis,) & infirmitatis secundum carnem esse. Adeo enim humilia ibi loquitur Christus, ut ὑπερβολὴ τῆς ταπεινότητος τῆς λεγομένων summa humilitas dictorum hominem valde contentiosum possit persuadere, quod ea verba non possint esse naturae diuinae & ineffabilis verba. Caro igitur eius tunc maxime, fuit infirma, quando cum morte luctatus, sudauit sanguinem & ab Angelo conformationem accepit, paulo minor factus Angelis Ps. 8, 6. & in cruce clamans, se derelictum. Ps. 22, 1.

§. 27. Atque haec extrema exinanitio humanae naturae facta est pro nobis, quod praecipuum est huius fidei articuli momentum. Nam per passionem & crucem suam Christus totum genus humanum, redemit, a peccatis, & tyrannide Diaboli, ab ira & maledictione Dei, ab inferno & morte aeterna; Et iustitiam ac vitam aeternam, Spiritum S. & dona eius, Gratiā resipiscentiae, fidei, & sanctificationis, dona Glorīae ineffabilia in coelo nobis promeruit & acquisiuit; Et omnia, quae

quae in Adamo amissimus, quin maiora bona, nobis recuperavit, totumque adeo Mundum ab interitu vindicavit & reparavit. Haec omnia merito Crucis Christi accepta ferenda sunt, sicut Chrysofomus passim inculcat, inde quoque notem, qua traditus est Saluator, ἱερὰν, sanctam appellat, ἐπειδὴ τὰ μύρια ἀγαθὰ, ἃ κατὰ τὴν οἰκισμένην ἐγένετο, τὴν ἀρχὴν ἐκείθεν ἐλάμβανε, quoniam millena bona, per orbem postea facta, initium inde sumpserunt. Et hinc factum esse docet, quod Crux Christi, antea in Mundo ignominiosissima & contemptissima, tanto suo seculo in honore & pretio sit habita, ut Reges & Magnates in Mundo hoc signo, tanquam sanctissimo trophaeo, ubique sint usi. Καὶ ἔσαυ ἡ ἀνάπαυσις αὐτῆς τιμὴ. Et erit requies eius honor. Haec impleta esse suo tempore testatur, & explicans ea verba, subiicit: Quasi diceret, ipsa mortis eius species (Crux) Diademate erit honoratior. Reges enim Diademata deponunt, Crucem assumunt, Symbolum mortis Christi. In purpura Crux, in Diadematis Crux, in oratoriis Crux, in armis Crux, in mensa sacra Crux, & ubique in Mundo Crux super solem elucet. Redemptionem generis humani per mortem Crucis factam, ex Veteri Testamento ostendit. Modum maculationis, inquit, manifestavit David, dicens: Fode-

Ibid.

Hom.
Quod
Christus
sit Deus,
contra Iu-
daeos &
Graecos.

Ibid.

runt manus meas & pedes meos, enumerarunt omnia ossa mea. Quod maclatio sit facta solutio peccatorum humanorum, Esaias proponit quando dicit: Et ipse peccata multorum sustulit. Quod a Daemonibus liberauerit homines, & hoc, cum ait: Et potentis diuidet spolia. Quod per mortem id fecerit, nec hoc tacuit, sed dicit: Propterea, quod tradita est in mortem anima eius. Causa mortis fuit peccatorum nostrorum expiatio: ἐκ τῶν ἀμαρτιῶν ἡμεῶν ἦκεν εἰς θάνατον. Ob peccata populi mei venit in mortem. Utilitas mortis, nostra pax & salus. Omnes sicut oues errauimus. Quisque in via sua errauit. παιδεία εἰρήνης ἡμῶν ἐπ' αὐτῷ. Eruditio pacis nostrae super ipso. Vibice eius nos sanati sumus.

§. 28. Haec si rite credimus, prout decet, maximum inde in angustiis & temptationibus contra peccata, metum mortis & Satanae, & iram ac maledictionem Dei, sentiemus solatium, vnde animam moestam & deiectam erigere & sanare poterimus. Nam Christus pro nobis passus, nostra sustulit peccata, iram Dei placauit, & nos cum Deo reconciliauit. Expers omnis peccati factus est victima pro peccatis nostris, vt nos in ipso fieremus iustitia Dei. 2. Cor. 5, 21. Hoc solatium, corde resipiscente & fideli si gustauerimus, *Crucem Christi*, per quam redempti su-

sumus, cum omnibus piis Christianis, in pretio quoque habebimus. Verum non ita, ut eius signum adoremus, aut ad inutilem ostentationem illud turribus, templis, aedibus, aut aliis rebus imponamus; Non ut signo Crucis in aere duobus vel tribus digitis formato, aliquam virtutem contra Daemones, aut ad impetrandam benedictionem Dei tribuamus. Hæc enim sapiunt superstitionem Ethnicam, a qua per mortem Christi liberati sumus. Et licet Chrysofomus, suo tempore illud in usu fuisse, (nempe signo Crucis contra Satanam se munire,) innuere videtur, quando scribit: ἂν σφραγίσῃς τὸ πρόσωπον εὐθέως ἀπεπήδησεν ἡ πονηρὰ δύναμις. *Cum obsignaueris faciem, (videlicet signo crucis) statim auffugit maligna potestas; A-* libi tamen docet, quam sit periculosum creaturis, & externis rebus adhaerere, quam facile iis abuti, & in superstitionem labi possimus, *nisi solícite nobis ipsis attendamus.* Postquam enim ostendit, Diabolum ipsum fuisse bonam Dei creaturam, factum esse malum & causam omnis mali, culpam non in creaturam, unde inuisibilem Creatoris potentiam, docente Paulo, cognoscere possumus, sed in hominum ea abutentium ἀμέλειαν incuriam transfert cum Apostolo: *Obscurati sunt in suis cogitationibus philosophi, colue-*

Hom. 5.
contra Iu-
daeos,
Tom. 6. p.
365.

Homil.
contra
quaeren-
tes, qua-
re non e
medio
sublatus
fit Diabo-
lus. Tom.
6. p. 692.

runt

runt & adorarunt creaturam magis, quam Creatorem. Quomodo igitur facta fuit creatura causa impietatis? ἢ παρά τὴν ἑαυτῆς Φύσιν, ἀλλὰ παρά τὴν ἀμέλειαν τῶν μὴ προσεχόντων. Non, inquit, per suam naturam, sed incuriam non attendentium. Postquam idem ostendit de membris corporis nostri, Oculus, inquit, datus est tibi, ut aspiciens creaturam, glorifices Creatorem & Dominum; sed si non bene usus fueris oculo tuo, fiet tibi adulterii occasio. Lingua tibi data est, ut recte loquaris, & laudes Factorem tuum; sed si non bene attenderis, fiet tibi blasphemiae occasio. &c. Vides, quomodo infirmo seu aegroto omnia noceant, quomodo salutaria quoque remedia infirmo mortem afferant, non per suam naturam, sed per eius aegritudinem &c. Postquam hæc, inquam, proposuit, mentionem quoque facit Crucis Christi, & dicit: Quid loquor de creatura? Etiam Crux qua nihil est salutaris, scandalum aegris factum est. Indicans, sicut Gentiles creaturis abusi in Idololatriam lapsi sunt, ita Christianos quoque Cruce Christi abutentes facile in superstitionem labi posse, quod fit, quando externum signum crucis colunt, Christum vero crucifixum in corde non habent, per fidem habitantem. Et hanc superstitionem adeo esse periculosam, ut Christi Crux, quae data est nobis ad vitam,

vitam,

vitam, & tanquam trophaeum contra Diabolum, possit nobis fieri occasio mortis, & relapsus in Regnum Satanae Idololatrium, nisi attenderimus & sedulo omnem superstitionis quoque umbram fugerimus. Non igitur ita in pretio habeamus crucem Christi, ut in externo eius signo saltem gloriemur, sed ut in Christo pro nobis crucifixo, per fidem veram nobiscum vnito gloriemur, docente Apostolo, contra Satanae, Mundi, peccati & omnium hostium insultus & tyrannidem. Ut propter Christum pro nobis crucifixum credamus Deum nobis propitium fore, & omnem benedictionem in spiritualibus & corporalibus largiturum esse. Sic non opus erit quaerere, an duobus an tribus digitis formanda sit crux in aere; quia non per hoc signum, sed per Christum pro nobis crucifixum vera fide apprehensum benedictionem Dei nos impetrare fatemur. Hunc articulum fidei ut purum & incorruptum seruare studeamus, tanquam Acropolin salutis nostrae, Chrysofomus monet, cum ait: *Vehementer studuit Diabolus, hanc ex hominibus tollere fidem, εἰδὼς, ὅτι τῆς οἰκονομίας ἐὰν ἀνέλῃ τὴν πίσιν, τό πλεον τῶν καθ' ἡμᾶς οἰχίσεται πραγμάτων, gnarus, sublata hac de opere Redemptionis per Christum impleto fide,*

res

Homo
Quod
Christus
in Deo

Hom. 6.
contra A-
nom.

*res nostras (circa salutem aeternam) plu-
rimam partem perituras esse.*

III. De statu Exaltationis Christi.

(α) De Resurrectione eius.

Com-
ment. in
h. l.

§. 29. Christum *tertia die resurrexisse, se-
cundum Scripturas*, docet, explicans locum
Pauli I. Cor. 15, 4. *typis, utpote, Ionae: Si-
cut Ionas in ventre Balaenae fuit tres dies
& tres noctes, sic Filius hominis erit in
medio terrae tres dies & tres noctes. Ru-
bi in deserto: Sicut ille ardebat, non com-
burebatur; sic corpus Christi mortuum
quidem, sed a morte non perpetuo deten-
tum est. Draconis, in fragmentis Danielis:
Sicut ille accipiens bolum, quem dede-
rat Propheta, medius crepuit; Ita ὁ ἄδης,
sepulcrum, status mortuorum, absorbens
corpus Christi, perruptus est, corpore
Christi dissecante ventrem eius & resur-
gente. Deinde *dictis, nempe Esaiiae:
Tollitur e terra vita eius. Et: Dominus vult
mundare ipsum a plaga, & ostendere lucem.
Et Davidis: Non derelinques animam meam
in sepulchro, nec dabis sanctum tuum videre
corruptionem.* Ad resurrectionem & sta-
tum exaltationis Christi refertur quoque
articulus de *descensu eius ad Inferos. Quem
ex Scripturis demonstrans, ait: Deinde,
quod descendens ad inferos, omnia conturba-
rit, tumultu & terrore impleverit, nec hoc ta-
cent,**

Hom.
Quod
Christus
sit Deus.

cent, sed nunc David sic clamat, dicens: Tollite Ps. 14, 7.
 portas vestras, principes, exaltamini portae
 aeternae, & ingrediatur Rex Gloriae. Nunc
 vero aliter Esaias. c. 45, 2. 3.
 Portas aeneas confrin-
 gam, & vectes ferreos conteram, & ape-
 riam tibi thesauros obscuros, abscondi-
 tos, inuisibiles monstrabo tibi. Τὸν ἄδην
 sepulchrum sic vocans. Etsi enim esset ἄδης
 sepulchrum, animas tamen tenebat sanctas,
 vasa honorata, Abraham, Isaac, Iacob. Ideo
 vocavit eos thesauros, & quidem obscuros,
 (sc. quoad corpus) quoniam nondum sol
 iustitiae ibi luxerat, nec verba de resurrectio-
 ne ibi praedicauerat. Haec fuit eius tunc
 temporis opinio de descensu Christi ad
 inferos, & loco Petrino 1. Petr. 3, 19. Pa-
 triarchas autem hos cum Christo resurre-
 xisse & in coelum ascendisse, ex Matth. 27,
 52. constat.

§. 30. Praxis huius articuli est, vt cre-
 dentes Christum propter iustitiam nostram
 resuscitatum esse, eius iustitiam nobis im-
 putatam fide apprehendentes, laetemur
 in Christo, gratias ei agentes, & conresur-
 gentes cum eo, τὰ ἄνω, coelestia meditemur
 & quaeramus. Hinc a primis temporibus
 semper in Ecclesia magnum fuit gaudium
 Paschale; inde quoque factum est, vt
 Christiani se inuicem laeto hoc nuncio
 exhilarent salutantes, etiam vincētis in
 carcere nuncient, Christum resurrexisse.
 Gau-

Gaudium hoc potissimum est fidei, super iustitia a Christo parata, & nobis redonata; Non super iustitia nostra inchoata, seu bonis operibus. Nam ex operibus legis nemo iustificatur, dicente Apostolo. Sed sicut Abraham credidit, & hoc imputatum est ei ad iustitiam; Ita id scriptum est propter nos, quibus quoque imputabitur, credentibus in Christum, qui propter peccata nostra traditus, & propter iustitiam nostram resuscitatus est. Interim ut retineamus hoc gaudium cum bona conscientia, & omnibus, per Christum partis beneficiis fidem nostram sequi debent bona opera, & ex iustitia vitae inchoata demonstrandum est, quod fruamur iustitia fidei imputata. Ad haec opera pertinet meditatio rerum spiritualium, & glorificatio Dei, per quae fides confirmatur. Quod monstrat Chrysostronus exemplo Abrahami, qui confirmatus est fide, dans gloriam Deo, & plane persuasus, quod quicquid promisit Deus, possit etiam facere: Ideo etiam imputatum est ipsi in iustitiam. Rom. 4, 20. 21. 22. ὡς ἠγοροῦσθαι, plane persuasus. Fides eiusmodi, ait, clarior est τῆς ἀπὸ λογισμῶν ἀποδείξεως, quam demonstratio per rationes, & magis persuadet. Non enim amplius se moueri patitur, per aliam cogitationem ingredientem. Qui saltem verbis persuasus est, potest iterum mutare mentem. Sed qui confirmatus est fide,

aures

Com-
ment. in
h. l.

aures suas obstruxit & muniuit contra omnia fidem destruentia verba. Quando igitur dixit, quod ex fide sit iustificatus, monstrat, quod ex fide quoque Deum glorificauerit, quod vita cum primis est proprium. Luceat enim lux vestra coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & glorificent Patrem vestrum in coelis. Ecce, hoc apparet fidei esse. Rursum vero, sicut opera indigent virtute, ita & fides, (nempe vt crescat & confirmetur.) Quando dixit, Deum posse facere, quod promisit, videtur mihi, de futuris quoque praedicere; Non enim praesentia saltem, sed & futura promisit Deus. Quae meditari, est opus fidei crescentis. Quando hanc fidem nonnulli accusant, obiiciamus illis rursum incredulitatem, tanquam hominibus miseris pusillanimibus, stolidis, aegrotis, parum differentibus a brutis. Nam sicut credere est animae sublimis & (μεγαλοφύσος) nobilis ac ingenuae; Ita non credere est animae (ἀλογωτάτης) absurdissimae, vilissimae, & ad brutorum amentiam deiectae.

(B) De Ascensione ad coelos & exaltatione ad dexteram Patris.

§. 31. DEVS suscitauit Christum ex mortuis, & sedere fecit in dextera sua in supracoelestibus, supra omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non tantum in seculo hoc, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit

G

sub

Comm.
in h. l.

sub pedes illius; illumque dedit caput super omnia Ecclesiae. Quae est corpus illius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus implet. Eph. 1, 20. 21. 22. 23. Hunc locum explicans demonstrat, quomodo Christus in Ascensione sua, quoad humanam naturam, super omnes Angelos in coelo exaltatus & in thronum regium sit collocatus. *Quis fando hoc assequi poterit? (ait:) Eum, qui fuit de terra, qui fuit magis mutus quam piscis, qui fuit ludibrium Daemonum, eum, inquam, adeo confestim in sublime euexit. Vere excellens magnitudo potentiae eius! Et vide quorsum euexit? In supracoelestibus omni creatura eum superiorem fecit, supra omnem principatum & potestatem. SUPRA OMNEM PRINCIPATVM dicit. Hic vere opus est Spiritu, & intellectu sapiente. Ad agnitionem eius vere opus est reuelatione. Considera quantum distet diuina natura ab humana. Ab huius exiguitate ad illius gloriam eum exaltauit. Non vno saltem gradu, sed secundo, sed tertio. Pape! non simpliciter dicit ἄνω, supra, sed ὑπεράνω, plus quam supra. Supracoelestibus enim potestatibus superior est Deus. Illuc eum euexit, τὸν ἐξ ἡμῶν, qui est ex nobis, (sc. secundum carnem) ab extremo gradu (exinanitionis) ad supremum principatum, supra quem non est altior gloria. SUPRA OMNEM Principatum, dicit. Non supra hunc saltem, supra illum vero non, sed supra*

pra

pra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur. Quicquid in coelo est, supra omne illud factus est sublimior. Atque hoc de eo dicitur, qui ex mortuis resurrexit, quod admiratu dignum. De Deo λόγῳ vero (seu diuina eius natura) nequaquam dicitur. Quod enim sunt culices coram hominibus, id sunt homines coram Deo. Et quid dico, culices? Si omnes homines ὡς σίελον, Es. 40, 15. sicut salina, siue spuma, sicut ῥοπή ζυγῶν clauicula seu acicula iugi aestimantur, pone inuisibiles potestates tanquam culices. Non igitur de Deo λόγῳ sic loquitur, sed περὶ τοῦ ἐξ ἡμῶν, de eo qui est ex nobis, (seu humana eius natura.) Id vere magnum est & admirabile. Ab infimis enim terrae eum euexit. Si omnes gentes sunt sicut gutta, homo unus quanta pars erit huius guttae? & hunc omnibus sublimiorem fecit. Non solum in hoc seculo, sed & in futuro. Sunt igitur Angelicarum virtutum quaedam nomina ignota, nobis non patefacta. Et omnia subiecit sub pedes eius. Non simpliciter fecit superiorem, tanquam prae aliis honorandum, aut in comparatione erga inferiores, sed ut omnibus tanquam seruis dominetur & praesit. Pape! vere tremenda haec sunt, Homini subiecta est omnis creata potestas, propter inhabitantem Deum λόγον! Est aliquando Superior, qui non habet subditos, saltem prae aliis honoratur. Sed

hic non ita se res habet, verum omnia subiecit sub pedes eius. Nec simpliciter subiecit, sed usque ad extremam subiectionem, ultra quam non datur alia. Ideo dixit, sub pedes eius. Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae. Pape! quo rursus & Ecclesiam euexit? Eam quasi per Machinam seu artificium quoddam trabens, ad magnam euexit sublimitatem, & in eundem thronum collocavit. Vbi enim caput, ibi corpus. Nullo enim modo corpus separatur, vel seiungitur a capite. Nam si separaretur, non esset corpus, non esset caput.

Ibid.

§. 32. Haec in praxi considerata excitabunt nos ad studium sanctimoniae, ne voluptatum carnalium coeno immerfi perdamus animam cum corpore, tam pretiose redemptam, & ad tantam in Christo dignitatem euectam, vt maiora in eo bona recuperauerimus, quam in Adamo amissimus. Reuereamur igitur caput nostrum, monet Chrysoft. considerantes cuius capitis simus corpus, eius nempe, cui omnia sunt subiecta. Iuxta hoc enim ὑπόδειγμα exemplar oportet nos angelis meliores & Archangelis maiores esse, tanquam prae illis omnibus honoratos. Non angelos suscepit Deus, sicut ad Hebraeos scribens ait, sed semen Abrahae; Non principatum, non potestatem, non dominationem, non ullam aliam Angelicam virtutem, sed nostram naturam assumpsit, & in sublime collocavit. Et quid dico

dico collocavit? Vestem suam fecit, nec hoc solum, sed omnia sub pedes eius subiecit. Pone hic, quas vis mortes, quas vis animas, millenas, multiformes, nihil dices, quod ullo modo cum dictis comparari queat. Duo enim fecit maxima (miracula,) ipse ad extremam humilitatem peruenit, & hominem ad magnam sublimitatem perduxit. - - Sed cum de corpore Christi nobis sit sermo, meminerimus & illius crucifixi, perforati, maclati. Si es corpus Christi, fer crucem (hanc enim ipse tulit) fer sputa, fer colaphos. Haec enim tulit corpus illius, & erat tamen sine peccato. - - O quanta fecit pro salute nostra! Corpus suum nos effecit, corpus suum nobis tradidit, (in Sacra Coena communicandum,) nos vero nihil horum a peccatis reuocat! O tenebras! o profunditatem magnam, (cui immerfi sumus!) o stuporem! Quae sursum sunt, ait, sapite, ubi Christus est sedens in dextera Dei. Nihilominus quidam student diuitiis, alii prauis concupiscentiis sunt illaqueati.

(γ) De Intercessione Christi.

§. 33. Christum sedentem ad dexteram Dei duo iam facere, nempe, intercedere pro nobis, vt summum Pontificem nostrum, & aedificare ac regere Ecclesiam, vt Regem nostrum, ex sacris literis docuit. Vnde circa sessionem eius ad dexteram Dei de duobus his articulis pauca adiiciemus. De Intercessione eius (quae

G 3

est

est altera pars officii eius sacerdotalis, nam prima pars est expiatio peccatorum, per mortem crucis in terra peracta, altera est Intercessio, quae iam in coelis peragitur) explicat dicta 1. Ioh. 2, 1. 1. Tim. 2, 5. Rom. 8, 34. Vbi notat, Christum haec facere ad significandum suum erga nos amorem, quod exaltatus ad dexteram Patris, nostri non sit oblitus, sed adhuc memor sit nostri, adhuc eandem curam, eandem charitatem erga nos seruet. Putat hoc ἀνθρωποπαθῶς more humano dici, non quasi minor sit Patre, quia dictum est, eum esse ad dexteram Patris, vnde patet eius ὁμοτιμία & ἰσότης, quod eiusdem sit cum Patre honoris & dignitatis; Sed saltem quod nos adhuc amet. Τὸ ἐντυγχάνειν ἐκ ἐλαττώσεως, ἀλλ' ἀγάπης φαίνεται μόνης αὐτῷ; Intercedere illud non videtur aliquem gradum inferiorem, sed amorem saltem indicare. Quod pluribus persequitur, & addit, de Patre quoque dici, quod adhortetur nos homines ad reconciliationem secum: Pro Christo legatione fungimur, ita ut Deus adhorretur per nos; Rogamus pro Christo; Reconciliamini Deo. 1. Cor. 5, 20. De Spiritu S. quoque dici, quod intercedat pro nobis, Rom. 8, 26. Vnde nihil liceat cogitare, quod indignum Maiestate diuina, saltem ex di-ctis charitas Dei erga nos sit colligenda. Addit adhortatiunculam, ad excitandam

cor-

Comm.
in Rom.
8, 34.

cordis fiduciam: Si itaque Spiritus intercedit gemitibus inenarrabilibus, si Christus mortuus est, & intercedit pro nobis, si Pater filii proprii non pepercit propter te, sed elegit te, & iustificauit, quid amplius times? Quid trepidas, tanta fruens dilectione, tanta cura?

§. 34. Cum vnus sit Deus, & vnus Mediator Dei & hominum, cum Christi solius sit officium intercedere pro nobis; valde displicebit ei, si alios quaerere velimus Mediatores & Intercessores, si Sanctos defunctos, id honoris minime desiderantes, ipsi in hoc officio adiungere cupiamus. Quod ad reliquias Ethnicae superstitionis referendum erit, a qua magno pretio, nempe sanguine Christi redempti sumus. Nam Ethnici vbique suos habebant Daemones, Deos Mediatores, & Intercessores, quos colebant. A quibus Paulus Christianos separans ait: *Vnus est Deus & vnus Mediator.* Nec iuuat ἀγιοδύλας, Cultores sanctorum, quod putent & petant, precibus sanctorum sibi aditum parari ad thronum gratiae, in quo sedet Christus; & quod inde confidentiores sint erga sanctos, quam erga Christum. Nam haec cordis fiducia erga sanctos maxime displicet Christo, tanquam Idololatria, qui propterea descendit de coelis, & homo & frater noster factus, per omnia tentatus, sicut nos, sine peccato; qui propterea

propterea naturam nostram exaltauit ad dexteram Patris, ibi sedens & interpellans pro nobis, & hoc ipso testans, se eundem adhuc seruare erga nos fraternum amorem, quem in Mundo testatus est; vt ipsi soli cordis intima fiducia adhaeremus, & praeterea nemini, vt ipsius solius intercessione niteremur. Quia ipse solus est Iehoua, & nemo praeter eum, qui suam Gloriam non vult creaturis dare, neque Angelis, neque sanctis hominibus. Valde quoque displicet Christo, si huic superstitioni praetexentes amorem sanctorum erga nos, ipsos potius, quam Christum in necessitatibus nostris prima vice adire velimus. Licet enim magnus fuerit amor eorum, dum viuerent in terris; nec minor factus sit per mortem, sed adhuc perduret in coelis; maior tamen, multis imo infinitis modis maior est dilectio Christi, qui mortuus est pro nobis, & sedens ad dexteram Dei interpellat pro nobis. Hunc igitur mediatorem vnicum prae omnibus primum quaeramus, colamus, & firma fide amplectamur. Qui vt nos secum vniret per fidem & nos redderet sibi familiares, carnem nostram induit, eamque in thronum gloriae euexit. Et nos iubemur ipsum induere, & alibi dicit Apostolus: Si Christus in nobis. Et iterum: In interiore

Comm.
in Rom.
13, 14.

„teriore nostro homine habitare Chri-
 „stum. Vult enim nostram animam esse
 „domiciliū Christi, & nos ipso tanquam
 „veste amictos esse, vt ipse omnia sit no-
 „bis ἔσωθεν & ἔξωθεν, intus & extus. Est
 „enim plenitudo nostra. Et nos pleni-
 „tudo eius, qui omnia in omnibus im-
 „plet. Est via, & vir, & sponsus. De-
 „sponsauit enim vos vni viro virginem
 „puram. Est radix, & potus, & cibus, &
 „vita. Viuo enim, dicit, (sc. Apostolus)
 „non ego autem, sed viuit in me Christus.
 „Et Apostolus, & summus Pontifex, &
 „Magister, & Pater, & Frater, & cohae-
 „res, & confors sepulchri & crucis. Con-
 „sepulti enim sumus cum ipso, ait, & in fiti
 „facti similitudini mortis eius. Et ἐκείνης
 „supplex precator; Pro Christo enim ro-
 „gamus. Et apud Patrem Patronus no-
 „ster; Nam intercedit, ait, pro nobis. Est
 „domus nostra, & inhabitator noster.
 „Qui enim manet in me, in eo & ego
 „maneo. Est amicus. Vos enim estis
 „amici mei. Est fundamentum & lapis
 „angularis. Nos vero sumus eius mem-
 „bra, agricultura, aedificium, palmites,
 „cooperarii. Et quid non vult esse nobis,
 „omnibus modis nos sibi adiungens &
 „agglutinans? Quod est indicium vehe-
 „menter diligentis. Haec si vere credi-
 „mus, ipsum super omnia diligentes; &

G 5

ipse

Homil.
 105
 1231

ipsi soli quoque adhaerere, & ipsum solum, non sanctos eius, inuocare cupiemus; Atque sic quoque ipsius gratia & ope in vita & morte ex voto fruemur. Sic non opus erit morientibus dare Schedulam, qua testimonium redditur fidei eorum, quod vera fuerint membra Ecclesiae, S. Petro, tanquam ostiario coeli, ut venientes intromittat, tradendam. Nam Christus sedens ad dexteram Dei, & habitans in suis fidelibus, optime nouit suos, nec opus habet, ut quis testimonium de iis perhibeat. Ioh. 2, 25. Ipse suscipit quoque animas fidelium in morte, & per Angelos in finem Abrahae, seu potius suum deferre iubet.

(d) *De Regno Gratiae, per totum orbem dilatato & dilatando.*

§. 35. *Consedit Christus ad dexteram Patris, ut tanquam Rex noster gratiosissimus Ecclesiam suam in toto Mundo aedificaret, dilataret, regeret, conseruaret, usq; ad extremum Iudicium & Mundi finem. Hac de re audiamus Chrysostomum egregie differentem, occasione „verborum Christi: Tu es Petrus: Et super hanc eandem Petram aedificabo Ecclesiam meam, & Portae inferni non „praeualebunt illi. Matth. 16, 18. Duo- „decim, ait, erant sequentes eum Disci- „puli. Ecclesiae rem nemo tunc mente*

con-

Homil.
Quod
Christus
sit Deus.

„conceperat, nec nomen quidem. Syna-
 „goga erat adhuc florens. Quid igitur
 „dixit & praenunciauit toti fere orbi, im-
 „pietati immerfo? Super hanc Petram ae-
 „dificabo Ecclesiam meam, & Portae in-
 „ferni non praeualebunt illi. Examina
 „verbum hoc, quomodocunque volueris,
 „& videbis lucentem eius veritatem.
 „Non enim solum mirum est, quod aedi-
 „ficauit eam in orbe toto, sed quod et-
 „iam insuperabilem eam effecit, insupe-
 „rabilem a tot turbatam certaminibus.
 „Portae enim inferni, quae non praeua-
 „lebunt illi, pericula sunt, in infernum
 „deturbantia. Vides praedictionis ve-
 „ritatem? Vides euentus robur? Vides
 „verba ex factis elucentia, & δύναμιν ἀ-
 „μαχου, πάντα ποιῆσαν εὐκόλως, poten-
 „tiam inexpugnabilem, omnia facile fa-
 „cientem? Quamuis pauca sint verba:
 „Aedificabo Ecclesiam meam, noli ea
 „praeterire obiter, sed in mente tua reuol-
 „ue, & cogita, quantum sit opus, totum
 „sub sole orbem breui tempore tot vbiq̄ue
 „Ecclesiis replere, tot gentes mutare, per-
 „suadere populos, mores abolere patrios,
 „consuetudinem inueteratam eradica-
 „re, voluptatis tyrannidem, malitiae vim,
 „tanquam puluerem dispergere, & alta-
 „ria, & templa, & delubra, & sacra, & hor-
 „ribilia Festa, & impurum sacrificiorum
 nido-

„nidorem, tanquam fumum quendam,
 „disipare, & vbique sancta altaria erige-
 „re in terra Romanorum, Persarum, Scy-
 „tharum, Maurorum, Indorum? Quid di-
 „co? Ultra quoque orbem nostrum ha-
 „bitabilem. Nam & Insulae Britannicae,
 „extra mare hoc (sc. Mediterraneum) ia-
 „centes, in magno Oceano, virtutem,
 „verbi senserunt. Ibi etiam Ecclesiae
 „fundatae, altaria fixa sunt. Illud ipsum
 „Verbum, quod tunc locutus est, in o-
 „mnium animis plantatum, in omnium o-
 „re versatur. Et tota, vt sic loquar, ter-
 „ra a spinis, quibus repleta erat, purgata,
 „ager bonus factus est, & semina pietatis
 „suscepit. Magnum sane hoc est, ma-
 „gnum valde, sed illud magnitudinem,
 „excellens & diuinae potentiae adhuc
 „magis demonstrat, quod multis quidem
 „aduersantibus, & turbas passim excitan-
 „tibus, nemo tamen prohibere potuerit
 „progressum Euangelii pacis, per quod
 „Mundus a mala sua consuetudine, quae
 „tot retro seculis viguerat, confestim libe-
 „ratus, & ad contrariam difficiliorem,
 „consuetudinem perductus fuit. Nam
 „Mysteria Euangelica creditu difficilia
 „sunt, philosophorum vero placita facilia;
 „Vita spiritualis difficilis est, sed vita car-
 „nalis facilis. &c. Quod pluribus perse-
 „quitur, & addit, id factum esse per Apo-
 „stolos,

stolos, Idiotas, piscatores, & homines tenuissimae conditionis, & valde contemptibiles in Mundo; sine armis & apparatu bellico, sine artibus philosophicis & apparatu eruditionis humanae; *solo verbo Dei.* Quod proinde commendat, tanquam verbum plenum efficacia diuina, quae se exserit in credentibus. *Θεῶν λόγοι, ἔργων δημιουργοί, Verba Dei, producentia opera.*

§. 36. Si credimus, Christum esse Regem in Ecclesia, non opus erit credere, Papam Romanum esse eius Vicarium, nec indigebit Ecclesia ad sui conseruationem & gubernationem autoritate humana, cum Christus eam per solum verbum suum diuinum efficacissimum in Mundo plantarit, gubernarit, conseruarit, dilatarit, & vltcrius dilatare & vsque ad finem Mundi conseruare velit. Sicut enim Chrysofomus verba Scripturae & promissiones Dei de Regno Gratiae allegat, & impletionem suo tempore factam demonstrat, sine alicuius visibilis capitis mentione; (quod tunc nondum emerferat in Ecclesia, licet ea vbique pulcherri- mum ordinem teneret;) Ita promissiones Dei vltcrius quoque impletum, & Ecclesiam sine Vniuersali aliquo Episcopo (quod officium est solius Christi ad dexteram Patris sedentis,) ampliatur & conser-

Ibid.

seruatum iri tradit. Et sicut Portae inferorum haectenus non praeualuerunt; ita nec nostris, nec posterorum nostrorum temporibus praeualebunt. Quae propter loco visibilis cuiusdam capitis comendauit efficaciam verbi Christi, capitis inuisibilis, „& veritatem promissionum eius. Imperatores, ait, Augustum, Tiberium, Galbium, Neronem, Vespasianum, Titum, „& reliquos, fuisse ἑλληνας Gentilium, „philosophiae deditos, & persecutos esse „Ecclesiam varie, vsque ad Beati Constantini tempora. Sed omnia eorum mala consilia, omnes conatus, aranearum telis facilius perruptos, fumo citius dissipatos, puluere leuius dispersos transiisse. Per eorum enim persecutiones „multiplicatos esse Martyrum choros, qui „immortales illos Ecclesiae relinquentes thesauros, columnas, turres, non „solum viui, sed & mortui, magnam posteris utilitatem attulerint. Vides praedictionis robur? Et portae inferni non praeualebunt illi. Ἀπὸ τῶν πίστευε περὶ τῶν μελλόντων, Ab his quae impleta „sunt discere credere futura implenda. Et „nemo illis superior erit. Quod pluribus demonstrat. Nam si ab initio, cum pauci Christiani essent & multi ac magni aduersarii, tantos progressus fecit Ecclesia, vt multis gentibus Idololatrias deui-

ctis

Etis perstiterit inuicta; Quanto magis ulterius progrediens, & totum occupatura Mundum, & omnia ubique Idola destructura, circa finem perstabit inuicta. Fundamentum huius spei est, veritas promissionum Dei immutabilis. Praedixit enim futura omni cum veritate; Et impossibile est aliquid eorum, quae dixit, interciderere. Facilius est, coelum & terram perire, quam eorum aliquid, quae dixit aut praedixit falsitatis conuinci. Quare & ipse ante rerum euentum hoc ipsum manifestans, de verbis suis satis clare id affirmavit, dicens: Coelum & terra praeteribunt, verba autem mea non praeteribunt. Et id verissime. Non enim verba saltem sunt, sed verba Dei, quae producunt operarealia. Sic coelum fecit, sic terram, sic mare, sic solem, sic Angelorum classes, sic alias inuisibiles virtutes. Hoc ipsum manifestans Propheta ait: Ipse dixit, & facta sunt, praecepit & creata sunt, idque de omnibus dixit creaturis, in coelo, in terra, sensibilibus, intelligibilibus, corporeis & incorporeis.

IV. De aduentu Christi ad extremum Iudicium & Regno Gloriam.

§. 37. Iterum venturum esse Christum in Gloria, ad iudicandum viuos & mortuos, & manifestandum Regnum Gloriam, cuius non erit finis; Passim docet explicans loca Scripturae Sacrae, Matth. 25, 31. I. Cor. 15, 21. - 24. Dein finis, quando tradet regnum Deo,

Deo,

Comm.
in I. Cor.
15.

Deo, & Patri, postquam abrogauerit omnem principatum, & omnem potestatem & virtutem. (Non Angelorum, ait, non fidelium, sed Daemonum, de quibus dicitur: Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus &c. Regnum itaque Satanae in Mundo abolendum esse docet.) Oportet enim ipsum regnare, donec posuerit omnes hostes sub pedes suos. Vltimus hostis abrogatur mors. (post omnes hostes, post Diabolum & reliqua omnia. Vltimus enim intrauit in Mundum, primo malum consilium Diaboli, deinde inobedientia, postea mors. τῆ μὲν ἐν δυνάμει ἢ νῦν κατήργηται, τῆ δὲ ἐνεργείᾳ, τότε. Nunc quidem iam abrogata est, quoad vim, sc. damnandi, tunc abrogabitur quoad operationem.) Omnia enim subiecit sub pedes ipsius. Cum autem dixerit, quod omnia subiecta sint, manifestum est, quod excipiendus sit, qui subiecit ei omnia. (Haec addidisse, ait Paulum, non quod minor sit Filius Patre secundum diuinitatem, sed ne quis existimet, ipsum filium dominaturum esse Patri, & futuram esse aliam quandam potentiam ingenitam &c. Voluisse Spiritum S. in Scriptura omnibus omnino erroribus ortis & orituris occurrere.) Quando vero subiecta fuerint ipsi omnia, tunc etiam ipse filius subiiciet se ei, qui subiecerit ipsi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. (Duple-

plex

plex Regnum in Scriptura tradi docet, κατ' οικείωσιν, *fideliūm*, & κατὰ δημουργίαν, *omnium creaturarum*. Dominari eum *omnibus*, Graecis, Iudaeis, Daemonibus, Aduersariis, ratione creationis. Dominari quoque *fidelibus*, volentibus, subiectis, ratione acquisitionis. αὐτὴ ἡ βασιλεῖα ἢ ἀρχὴν ἔχειν λέγεται. Hoc regnum & initium s. principatum habere dici. De hoc loqui psalmum secundum: *Pete a me, & dabo tibi gentes haereditatem tuam*; loqui ipsum Dominum ad discipulos: *Data est mihi omnis potestas a Patre meo*. Patri qui genuit, omnia tradens, non quasi ipse non sit sufficiens Dominus, sed ostendens, quod sit Filius, non ingenuus. Hoc regnum tradit, hoc est, κατορθοῖ, *erigit*, siue *restabilit*, tanquam aeternum, Dan. 7, 14. (quem locum quoque citat. *Vt Deus sit omnia in omnibus*, vt omnia ad eum sint reducta, seu restituta, ne quis putet, duo fore distincta regna Dei, vel aliud regnum separatum. *Quando enim inimici sub pedibus iacent Filii, ipse habens eos sibi subiectos non seditionem mouebit contra Genitorem, ἀλλ' ὁμονοῆ μετὰ πολλῆς τῆς ἀκρίβειας, sed accuratissimum seruabit consensum, sic erit Deus omnia in omnibus.*)

§. 38. Cum Filius Dei sedens ad dexteram Patris regnaturus sit in medio inimicorum, donec omnes pedibus eius
 H sub-

Homil.
Quod
Christus
fit Deus.

subiiciantur, idque successive fiat, & impletum sit tempore Chrysoftomi in Iudaeis & Ethnicis, acerrimis Ecclesiae hostibus, spem habuit, id secuturis seculis etiam in aliis Ecclesiae hostibus impletum, & ante finem Mundi omnes gentes, etiam Iudaeos conuersum iri. De hac gentium conuersione explicauit illud uaticinium Ioelis, de effusione Spiritus S. super omnem carnem: ubi addit: μεγάλην ἡμέραν καὶ ἐπιφανῆ, magnum & illustrem diem, καὶ ταύτην ἔτω δηλῶν τὴν ἐπιπνεύματι, manifestans & hunc sc. effusionis Spiritus S. καὶ τὴν μέλλουσαν ἐπὶ συντελείᾳ φανήσεσθαι, & eum, qui in Consummatione seculi apparebit. De salute per fidem consequenda explicauit sequentia uerba: Et erit, quicumque inuocauerit nomen Domini, saluabitur. Mittet, ait, ubique in orbe praedicatores, & nemo inobediens erit uerbo praedicato. Quod probat Ps. 19, 5. In omnem terram exiuit sonus eorum. &c. Apostolos praedicantes Regibus fuisse potentiores, probat Ps. 68, 15. Constitues eos principes super omnem terram. Sed & Reges conuersos libenter, suscepisse Euangelium Ps. 99, 3. Propterea populi tibi confitebuntur in aeternum, i.e. gratias agent, quod tales principes (sc. Apostolos) dederis. Euangelium ubique in Mundo dominaturum esse. Postula a me, & dabo tibi Gentes, haereditatem tuam,

Et possessionem tuam fines terrae. Item. Implebitur omnis terra cognitione Domini, sicut aquae multae obtegunt maria. Obedientiam fore facilem. Non docebit quisquam proximum suum, nec quisquam fratrem suum, dicens, cognosce Dominum, quia omnes cognoscent me, a paruo usque ad magnum. Ecclesiam fore inconcussam seu indiscissam (τὸ ἀρραγὲς τῆς Εκκλησίας:) Erit in diebus ultimis illustris mons Domini, & in summo vertice montium Domus Domini, & exaltabitur supra colles, & venient ad illum multi populi, multae gentes. Eam non solum fixam, immobilem & inconcussam fore, sed & multam orbi pacem administraturam; Vnum fore Regnum, idque plurimam partem pacificum &c. Et contudent gladios in aratra. &c. Es. 2, 2. 3. 4. Atque haec omnia vi verbi diuini, per quod ferocissimi quoque homines conuertentur: Tunc lupus pascet una cum agno, &c. Es. 11, 6. Item: Et seruient ei sub iugo vno. &c. Zeph. 3, 9. Et rursus: Ab ortu solis, usque ad occasum erit nomen meum glorificatum inter gentes. Mal. 1, 11.

§. 39. De Iudaeorum reiectione docet, eos non esse penitus reiectos sine spe reassumptionis, sed quoque iterum conuersum iri. παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' ἑαυτῶν. &c. Ad aemulationem vos pronocabo super non Gente. &c. i. e. videntes Gratiam

Ibid,

H 2

Chri-

Christianis e Gentibus collectis datam, aemulabimini eos, & sic quoque conuertemini. Et ad Rom. II, II, seqq. annotat *Consilium Dei admirandum in vocatione Iudaeorum & Gentium ad Gratiam Euangelicam, Voluisse Deum per praedicationem Euangelii vocare primum Iudaeos, deinde Gentes; sed cum Iudaei obstinate pergerent in sua incredulitate; ex iusto iudicio eos in sua coecitate aliquantisper relictos esse, donec gentes intrauerint. Sic gentes Iudaeis praepositas primum vocatas esse, postea Iudaeos eorum exemplo motos vltimis temporibus iterum vocatum iri, atque sic ex primis factos esse postremos, quod ipsemet Saluator in Parabolis suis de vinea, & nuptiis Regiis illis ostenderit. Hoc futurum esse affirmat circa aduentum Christi secundum ad iudicium, ex verbis Ps. 50, 3. *ὁ Θεὸς ἐμψανῶς ἤξει. Deus veniet aperte. Aduocate coelum sursum, & terram, ad iudicandum populum eius. Terram hic appellat genus humanum. Deinde omni hominum generi etiam Iudaicum annumerans (ad Iudaeos enim quoque extenditur) rursus illud adducit, dicens: Congregate ipsi sanctos eos, QUIBUSCVM FOEDVS PEPIGIT SVPER SACRIFICIIS. Et annuntiabunt coeli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est. Item, ex verbis Apostoli Rom. II, II. Quando plenitudo Gentium ingressa fuerit, tunc totus Israel**

SH

rael

rael saluabitur, κατὰ τὸν καιρὸν τῆς παρυσί-
 ας τῆς δευτέρας, ἢ τῆς συντελείας. Circa
 tempus aduentus secundi, & consummationis
 seculi. Denique ex verbis Prophetæ, ad-
 ductis in testimonium futuræ Iudæorum
 conuersionis, ὅτι πισεύσουσι ἢ σωθήσονται, Comm.
 eos credituros esse & saluatum iri. VENIET in h. l.
 EX SIONE LIBERANS, ET AVERTET
 IMPIETATES A IACOBO. Atq; signū salutis
 addens, ne quis ad priora tempora hæc referat,
 & cum iis coniungat, ait: ET HOC ERIT IL-
 LIS APVD ME TESTAMENTVM, QUANDO
 EORVM PECCATA ABSTVLERO. Non quādo
 circumcidentur, non quando sacrificabunt, non
 quando alia in Lege praecepta facient; sed
 quando peccatorum remissionem consequentur.
 Hoc igitur cum sit promissum, cum illis non-
 dum sit factum, cum nondum remissionem per
 baptismum sint nacti, πάντως ἔσται, OMNI-
 NO FIET. Quare addit: Αμεταμέλητα
 &c. id est: Deus non reuocat dona, & voca-
 tionem suam, sed manet immutabilis. Hæc
 qui credit, malet omne studium & tem-
 pus impendere potius alliciendis ad Chri-
 stum & conuertendis animabus, quam
 contentionibus & aemulationibus, vel
 etiam deliciis, diuitiis, aut inanibus ho-
 norum typhis accumulandis. Quia Chri-
 stus Iudex olim non quaeret, quam diui-
 tes, potentes, eruditi & celebres in Mun-
 do, sed quam diligentes in Ecclesia fueri-

mus in pascendis eius ouibus, & refocilandis pauperibus.

ARTICVLVS TERTIVS.

ET in Spiritum Sanctum, Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma, in remissionem peccatorum, & expecto Resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen.

I. De Spiritu S. vera Deitate & Homousia.

Homil.
de Spiritu
S.

§. 40. Hanc contra Macedonianos in peculiari Homilia ex sacris literis exposuit & defendit; Qui impugnabant Spiritu S. Θεϊκὴν αὐθεντίαν & δόξαν, diuinam Autoritatem & gloriam, vocantes eum κτίσμα, δῆλον, creaturam, seruum, nolentes ex animo subscribere τῷ ὁμοσίῳ Nicaeno, quamuis dicerent, se illius Concilii fidem sequi, vt innuit Chrysostronus. Contra hos cum in Concilio Constantinopolitano, sub Theodosio M. paulo ante tempora Episcopatus Chrysostr. addita sint haec verba: Dominum & viuificantem, qui

qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur, qui locutus est per Prophetas; Ea ex sacris scripturis demonstrare atque Spiritus S. diuinitatem & characteristicam proprietatem probare voluit. Spiritus S. ait, (vt docent Scripturae Sacrae, vel potius ipse Spiritus S. de se ipso praedicat, & per Prophetas loquitur, & per Apostolos eundem suum splendorem effert) τὴν μὲν φύσιν εἶναι ἀδιαίρετον quoad naturam seu essentiam est indiuisibilis (ἀτε δὴ ἐκ τῆς ἀδιαίρετης ἡ ἀμερίστου φύσεως προελθὼν, nempe ex indiuisibili (diuina) natura proueniens.) Nomen eius est, Spiritus S. Spiritus veritatis, Spiritus Dei, Spiritus Domini, Spiritus Patris, Spiritus Filii, Spiritus Christi. Haec porro demonstrat, quod sint nomina diuinam eius essentiam denotantia, quam eandem habet cum Patre & Filio. Vnde notat, eum non solum dici Spiritum Dei, sicut coelum & terra sunt Dei, sed & Spiritum ex Deo, hoc est, ex eius essentia. Quod non solum dicatur Spiritus Patris, sed & ex Patre procedens, nempe, vt riuus ex Fonte. Patrem enim fontem viuum dici. Ierem. 2, 13. Spiritum S. cum donis, flumen aquae viuae. Ioh. 7, 38. 39. Quod sine discrimine dicatur Spiritus Dei, & Spiritus Christi, Rom. 8, 9. 11. Hinc probat, esse quidem distinctam a Patre & Filio personam, sed eiusdem cum illis diuinae essentiae &

Maieftatis, & eodem modo cum illis adorandum. Distinctionis characteres esse, (quod alibi inculcat) Patris, quod sit *ingenitus*, Filii, quod sit *genitus a Patre*, Spiritus S. quod sit *procedens ex Patre*. An ex Filio quoque procedat, (quod tunc nondum erat controuersum) non aperte negat, potius innuere videtur, dum ait, *eum dici Spiritum Filii, Spiritum Dei & Christi, & esse ἴσον, seu idem, dicere Spiritum Dei & Spiritum Christi.* Nempe quia Christus quoque est verus Deus, & Spiritus S. ex eadem indiuisibili diuina essentia procedit, *credendum est, Spiritum S. Patris esse & Filii.*

Homil. 2.
in Symb.
Apostol.
It. Homil.
de S. S.
Triade.
Tom. 6.
p. 961.

§. 41. Praeterea alia plura esse, ait, Spiritus Sancti nomina in S. Scripturis, sed quæ eius *operationem & charismata* significant, nempe cum dicitur Spiritus *vitæ*, Spiritus *sanctimoniae*, Spiritus *sapientiae*. Huc refert illud Esa. II, 2. Vbi dicitur Spiritus σοφίας ἢ συνέσεως, *sapientiae & intelligentiae*, βελῆς, ἢ ισχύος, *consilii & roboris*, γνώσεως, *cognitionis*, εὐσεβείας, *pietatis*, φόβος Θεῶν *timoris Dei*. Hinc docet, dona Spiritus S. esse varie distributa. I. Cor. 12, 4. 8. seqq. Recte docentes habere Spiritum σοφίας *sapientiae*, recte discentes Spiritum συνέσεως *intelligentiae*. Nam recte intelligere ea quæ ex sacris literis recte sunt proposita, esse donum.

&

& opus Spiritus Sancti. Alios habere Spiritum *Consilii*, & posse optima consilia dare, vt Iethro Mosi in deserto; Alios habere Spiritum *Roboris*, & posse dextre exequi consilia &c. Notatu digna est explicatio dicti: ἐκ ἐμοῦ λήψεται, *ex meo accipiet & annuntiabit vobis.* Ioh. 16, 14. Quod Macedoniani obiiciebant, contra diuinam Spiritus S. ἀυθεντίαν. Per inuersionem respondet, ex eo maxime probari, quod Spiritus S. non sit *seruus*, sed *Dominus*, libere distribuens charismata diuina. Nam *primo* impleuit carnem Dominicam, seu humanam Christi naturam, omni plenitudine charismatum spiritualium, seu diuinorum; quod probat multis scripturæ dictis, vtpote de baptismo Christi, vbi Spiritus S. specie columbae descendit super Christum, & mansit super eo; Vbi Io. Baptista testatur, Patrem dedisse Filio Spiritum, ἅ καὶ ἐκ μέτρως, *non iuxta mensuram*, sc. Prophetarum & aliorum fidelium, in ipso habitare omnem plenitudinem Deitatis σωματικῶς, i. e. non in Deo λόγῳ, sed in carne assumpta, vel secundum humanam naturam. Deinde ex hac plenitudine, tanquam ex fonte inexhausto, accipit Spiritus S. & distribuit fidelibus in Ecclesia, cuique sua dona, sicut testatur Io. Baptista, ex plenitudine eius omnes accepimus, &c. Eodem modo explicat verba:

H γ

ὁ λαός

ὅτι λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, non loquetur a seipso, id est, non erit *Spiritus mendacii*, seu *impostor*, qui ex seipso loquitur, Ioh. 8, 44. sua commenta profert; Sed erit *Spiritus veritatis*, qui ex scripturis loquetur, & mea verba explicabit. Sic qui non a seipso, sed ex *Scripturis loquitur*, & inde omnia sua probat, habet *Spiritum Sanctum*. &c. Haec fide humili suscepta proderunt nobis, ut manentes intra cancellos *Sacrae Scripturae*, & contenti donis nostris, aliorum dona minime contemnamus, neque eorum verba & scripta, sacris literis consentanea, temere suspecta reddamus, tanquam ab alio spiritu profecta. Alias facile fieri potest, ut dum alios haereseos arguere cupimus, ipsi in eandem cum *Macedonianis πνευματομαχίαν* & haeresin incidamus. *Honora, ait, Spiritum, quem accepisti. Assumpsit Christus a te πλάσμα corpus tuum, & dedit tibi Spiritum suum. Corpus tuum honoravit, ad dexteram Patris collocans, & tu Spiritum eius ignomina afficis, tanquam seruum.*

II. De Spiritus S. viuificatione seu opere sanctificationis.

§. 42. Sicut Patri opus Creationis, Filio opus Redemptionis; sic Spiritui Sancto opus sanctificationis, in sacris literis tribuitur, licet haec opera quoque sint indiuisa, toti S. S. Trinitati communia.

Quan.

Quando igitur in Symbolo dicitur πνεῦμα ζωοποιόν, Spiritus uiuificans, beneficia in opere sanctificationis nobis exhibita, indigitantur. Quæ summam sub voce *Conuersionis* (qua omnia, quæ ad iustificationem & sanctificationem nostram pertinent, complectimur,) comprehendemus, & quæ sine controuersia est opus Spiritus S. Vbi primo de peccato & pœnitentia, deinde de fide, postea de bonis operibus & fructibus fidei erit agendum, quia Spiritum S. nos per Verbum ad agnitionem peccati, & meriti Christi, vocare & perducere, & in vera fide sanctificare & conseruare, in confesso est. De peccato igitur docuit Chrysofomus, quod tota natura humana, per lapsum Protoplastorum corrupta, ad bonum inæpta, ad malum prona, adeo ut *omne figmentum cordis humani saltem malum sit omni tempore*, quin imo in spiritualibus mortua, seipsam suis viribus ad Deum conuertere non possit, sed Spiritus Sancti gratia indigeat. Hoc toties inculcat, quoties ea dicta S. Script. allegat & explicat. v.gr. Eph. 2, 1. sq. *Vos, qui eratis mortui in lapsibus & peccatis.* &c. Est mors corporalis, ait, est & spiritualis. Illa est φύσεως naturæ; hæc προαρέσεως, malitiæ, habet crimen, ἢ λύσιν ἔδεμίαν, nullam solutionem, seu nemo seipsum rursus exsuscitare potest. ἐν οἷς

ἢ

ἡ ἡμεῖς πάντες. &c. v. 3. In quibus etiam nos
 omnes conuersati sumus. Omnes, ait, non
 enim licet dicere, quenquam exemptum esse.
 Erasmus filii irae, sicut & reliqui omnes. Addit,
 ἡ δὲ πνευματικὸν ὄροντες, nihil spirituale
 sapientes. Sicut igitur mortuus nihil sen-
 tit, ita homo peccator peccata & miseriam
 suam non sentit, prae fracte pergens in
 sua malitia. Sicut mortuus seipsum vi-
 uificare non potest, ita peccator propriis
 viribus se ad Deum conuertere non pot-
 est. Vide, ait, quantum hic miraculum Pau-
 lus ostendat; Animam enim mortuam sanare,
 maius est miraculum, quam mortuos resusci-
 tare.

§. 43. Hanc miseriam spirituales Spi-
 ritus Sanctus animam viuificaturus seu
 conuersurus, primum ostendit, veram pœ-
 nitentiam operans, ex insensibili faciens
 sensibilem, vt peccata, corruptionem &
 miseriam suam, per originale peccatum,
 innatam, & per peccata actualia contra-
 ctam & auctam, videat, sentiat, doleat,
 & sanari cupiat. Hoc docet in Homiliis
 περὶ κατανύξεως, de Compunctione, ad De-
 metrium Ascetam, & alios, vbi eos corri-
 pit, qui non credentes comminationibus
 verbi diuini, peccata leuia esse putabant,
 adeoque non serio dolebant, nec a pec-
 catis abstinere festinabant. Quos monet
 ne seipfos decipiant, nam non solum inobe-
 dientiam,

dientiam, ubi se non submittant praeceptis Christi, sed & incredulitatem, ubi non credunt, sc. Deum irasci, gravissimum olim cruciatum allaturam esse. Deinde peccatori vere contrito, sentienti suam miseriam, timentiam iram Dei, & suspiranti ad Deum, Spiritus S. porro ostendit Christum Mediatorem cum omnibus beneficiis, per mortem partis, atque sic accendit & operatur fidem, qua cor contritum rursus erigit & consolatur. Ut veram contritionem, sic quoque veram fidem inculcat Chrysofomus, comparans eam resurrectioni mortuorum, cum Paulo, & explicans illud Eph. 1, 19. 20. de excellenti magnitudine virtutis Dei erga nos, qui credimus, &c. demonstrat, esse opus Conversionis nostrae ad veram fidem, maius miraculum, quam resuscitationem a morte corporali. Quod pluribus confirmat exemplis eorum, qui ad hanc vitam resuscitati sunt, facillimo negotio; Iudaeorum vero conversione non ita facile sequente; ut conquerendum fuerit Servatori optimo: *Quoties volui te congregare, sed noluisti.* Et rationem hanc reddit, quia Deus cupit nos ἐκόντας volentes fieri bonos. Atque hinc Paulum non immerito apprecari Ephesiis *Oculos intellectus illuminatos*, ad intelligendum saltem tantum mysterium spiritualis nostrae resuscitationis seu verae Conversionis &c. Si ergo

Comm
d. d. si

ergo propriis naturae viribus hoc opus Dei non possumus recte intelligere, multo minus propriis viribus fidem veram concipere, & vere conuerti poterimus. Manet ergo opus solius Dei, Spiritus Sancti, in quo saltem *mere passive*, nempe in primo Conuersionis momento, peccator se gerit, recipiens donum fidei. Non tamen sicut *truncus*, vel *cadauer*, *mortuum manens*, sed sicut homo resuscitatus, & sensibilis factus, cui aperti sunt oculi ad videndum, manus viuificatae, ad apprehendendum Christi meritum. Prout conuenit animae rationali, quae intellectum suum illuminari, voluntatem suam flecti patitur.

§. 44. Veritatem fidei cum demonstrent fructus bonorum operum, & hoc operatur Spiritus Sanctus. Quod Chrysostomus cum primis vrget, cum Paulo, Eph. 2, 8. 9. *Gratia enim saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est. Non ex operibus.* ὡς εἰ δὲ τὸ τῆς πίστεως, ἡμέτερον, Θεῶν, φησὶ, τὸ δῶρον. Itaque, *neque fides est nostrum (opus) Dei, ait, est donum.* οὐκ ἐξ ἔργων non ex operibus. μή γὰρ ἦρκει ἡ πίστις σώσαι, φησὶν. *Nonne fides sufficienter potuit saluare, ait? ἀλλ' ἵνα μὴ κενὸς, μηδὲ ἀργὸς σωσῆται, ταύτην ἐζήτησεν ὁ Θεός, φησὶν.* Sed ne *vacuos, neque segnes saluet, hanc quaesuit Deus, ait, nempe fidem, quae est viuua, seu Dei donum, εἶπεν, ὅτι ἡ πίστις σώζει, ἀλλὰ*
διὰ

Comm.
in h. l.

διὰ Θεῶ. Dixit, fidem saluare, sed per Deum.
 Quoniam enim Deus voluit, fides saluauit.
 Alias quomodo saluat fides, dic mihi,
 quae est, (Iac. 2, 14.) sine operibus? Et hoc
 ipsum (nempe opera) Dei donum, nequis glo-
 rietur. - - Nemo, ait, ex operibus iusti-
 ficatus est, ut susciperetur Dei gratia & Φι-
 λανθρωπία. - - Deinde ne, cum audis, non ex
 operibus, sed ex fide omnia tibi restitui, ne in-
 quam segnis fias, vide quid addat. Ipsius su-
 mus factura, creati in Christo Iesu, ad opera
 bona, quae praeparauit Deus, ut in iisambu-
 lemus. Vide eum, quid dicat. Regeneratio-
 nem hic subinnuit. ὄντως κτίσις ἑτέρα ἐστίν.
 Haec vere est altera creatio. ἐκ τῆς μὴ ὄντος εἰς
 τὸ εἶναι παρήχθημεν. A non esse ad esse per-
 ducti sumus. Quod eramus antea, (ei) mor-
 tui sumus, nempe veteri homini. Quod non
 eramus antea, facti sumus. Creatio est istud
 opus, καὶ τῆς ἑτέρας τιμιωτέρα, priori praese-
 renda. - - Vocati igitur ad bona opera,
 maneamus in iis, omnia perficientes. Plura
 non addo, sufficiunt haec obseruare vo-
 lentibus, quomodo Chrysofomus cum
 aliis orthodoxis Episcopis suo aeuo non
 mortuam, non hypocriticam, sed veram
 & viuam fidem, quam praecedit vera
 poenitentia, sequuntur bona opera, & hu-
 ius fidei confirmationem, & conseruatio-
 nem vsque ad finem vitae, atque sic ar-
 ticulum de iustificatione & sanctificatio-
 ne,

Romm.
 Que
 Christus
 et Deus.

amos
 l. l. i.

ne, fideliter docuerit. Et quid opus est multis? si fatemur Conuersionem nostram esse opus *Spiritus Sancti, Domini, & uiuificantis*, oportet eum operari in nobis *uiuos* motus resipiscentiae fidei & charitatis. Alias non esset *πνεῦμα ζωοποιόν*, *Spiritus uiuificans*. Interim uiuificatio non nostris operibus ullo modo, sed soli eius gratiae tribuenda est.

III. De Ecclesia.

§. 45. Officina Spiritus Sancti in qua operatur, est Ecclesia. Hanc colligit ex omnibus populis in Mundo per praedicationem Euangelii. Vera huius Ecclesiae membrum, cum aliis Episcopis & fidelibus, se esse, fassus est Chrysostronus, idque vera doctrina & sancta vita ostendit. Hanc ut non solum ab hostibus extra Ecclesiam, Iudæis & Ethnicis, sed & ab hostibus intra Ecclesiam, Haereticis, & Schismaticis, a Spiritu S. separatam esse, docerent, vocarunt eam, *Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Ad hanc vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam dissentientes suo tempore inuitauit, & ad unitatem & concordiam spiritualem cum ea, & membris eius, rite seruandam Auditores suos admonuit, secutus Paulum Eph. 4, 4. 5. 6. *Vnum corpus, vnus Spiritus &c.* *Dilectionem quaerit Paulus a nobis non vulgarem, sed eam quae*
nos

Comm.
in h.l.

nos connectit, & indiuisse cohaerentes reddit,
 & talem unitatem, tam accurate nos copulan-
 tem, sicut membra corporis &c. Sed cum a-
 libi doceat, Ecclesiam in toto Mundo,
 non solum in Imperio Romano, sed & ex-
 tra illud in Regno Persico, in Insulis Bri-
 tannicis colligi; Et ibi quoque multos esse
 martyres, & conuersos, qui cum antea fuerint
 lupis ferociore, suscepta praedicatione ouibus
 mansuetiores sint facti, & de immortalitate,
 de Resurrectione, & aliis ineffabilibus bonis
 philosophentur; Cum conqueratur, Ec-
 clesiam vbique premi ab hostibus extra
 & intra eam, adeoque vera Ecclesiae
 membra inter hostes vbique dispersa esse,
 quae tamen ad Catholicam Ecclesiam
 pertinent; Non cum particulari saltem
 aliqua, sed cum Vniuersali quoque Ec-
 clesia concordiam spiritualem seruan-
 dam, & membra dispersa & pressa non
 contemnenda, neque damnanda, sed in-
 firma suscipienda esse monet. Rom. 14, 1.
 seqq. τὸ ἡθνηκός μέρϑ αἰεί πλείονϑ δει-
 ται τῆς προνοίας, pars infirma, maiori sem-
 per eget cura. Si quis ea nosse cupiat, an
 sint vera membra Vniuersalis Ecclesiae,
 consideret, an agantur Spiritu Sancto,
 qui colligit Ecclesiam. Et hoc rursus
 patebit, si adhaereant verbis Spiritus S.
 in Scripturis, eaque in vita exprimere stu-
 deant. Non loquitur Spiritus S. ἀφε-
 αὐτῶ,

Homil.
 Quod
 Christus
 sit Deus.

Homil.
de Spiritu
S.

αυτῶ, *a seipso*, sed verba Christi proponit, & perspicua reddit. Idem faciunt vera Ecclesiae membra, vt ait Chrysoſtomus: ὅταν ἴδῃς αἰρετικὸς Ἀριστοτελικὰ κινῶντας ἢ Πλατωνικὰ, εἰπέ, ἡμᾶς ἀφ' ἐαυτῶν ἔλαλῶμεν· ὅσα ἠκῶσαμεν παρὰ Χριστοῦ, ταῦτα φθεγγόμεθα. *Quando videris Haereticos Aristotelica mouentes aut Platonica, dic, nos non loquimur a nobis ipsis. Quaecumque audiuimus a Christo, ea loquimur.*

IV. *De Mediis Conuersionis in Ecclesia ordinariis, Verbo & Sacramentis.*

Ibid.

§. 46. Media ordinaria, per quae Spiritus S. salutem in Ecclesia operatur, sunt Verbum, & Sacramenta. Verbum DEI in Sacris Scripturis Vet. & Nou. Testam. comprehensum, vnice commendauit, Chrysoſtomus. Non solum Nouum Testamentum, sed & Vetus Testamentum proposuit & explicauit, quod reiiciebant Manichaei, contra quos in Homilia quadam demonstrauit, quod *Noui & Veteris Testamenti sit vnus idemque Legislator*, (νομοθέτης,) adeoque, quod Spiritus S. non solum per Apostolos, sed & per Prophetas sit locutus, sicut dicitur in Symbolo. Ex solis sacris literis contra hostes Ecclesiae pugnavit, & credenda demonstrauit, vnde testes vocat Auditores, Homilias suas non fuisse σοφίσματα τέχνης, ἀλλ' ἀποδείξεις γραφῶν, *sophismata artis, sed demon-*

mon-

monstrationes scripturarum. Alibi vult eos discere, (ὅτι ἔκατασοχαζόμεθα τῶν θεῶν γραφῶν, ait,) se non dubiis coniecturis, contra scopum S. Scripturae, sed firmis ex iis deductis argumentis uti, vnde totum contextum recenset. Ex solis sacris scripturis omnia facienda & fugienda inculcat, & Auditores suos ad eas sedulo legendas, audiendas, & sancte tractandas adhortatur. In homilia quadam, (quod utilis sit Scripturarum lectio, &c.) comparat sacram scripturam cum Paradiso, quem non in terra, sed in fidelium animis plantauerit Deus; non in Eden saltem ad Orientem, sed ubique in Mundo. &c. In omnem terram exiuit sonus eorum. &c. Ubique esse, qui de scripturis philosophentur, Φωνὴ μὲν ἑτέρα, πίσσι δὲ ἔχ' ἑτέρα, lingua quidem alia, fide tamen non alia. &c. Inde exire quatuor flumina, quae sint πνεύματα ἁγία, Spiritus S. dona, Ioh. 7, 38. 39. Qui in hoc Paradiso manent, iuxta haec flumina sedent, eos non lapsuros esse, sicut Adam, sed beatas & frugiferas arbores fore, & contra omnes coeli tempestates perstituras. Ps. 1, 2. Quinimo diuinum solatium in omnibus afflictionibus inuenturos esse, quod omnia humana longissime superat. &c. Sed lectioni esse attendendum, non duabus saltem horis (nam non sufficere solum hunc auditum ad certitudinem fidei;) sed perpetuo. (διανεως.) Oportere unum-

Hom. 6.
contra A-
nom.

quemque domi Biblia relegere, & quae dicta sint, mente reuoluere, si continuam & sufficientem e sacris literis utilitatem velit habere. Praeterea addit, non satis esse, Biblia a Pastoribus saltem praelegi, sed & ἐξήγησιw, explicationem adiiciendam esse, sine vehementia cum lenitate. Talem adhortationem fore sicut pluuiam irrigantem, leniter decidentem, sed plus efficientem, quam imber cum impetu labens. Ideo se quoque non festinare, sed iam quartum diem transigere in explicatione unius ἐπιγραφήs, Tituli, quia satius sit paruum agrum bene fodere, ut thesaurum inueniamus, quam amplum agrum frustra percurrere &c. Sed cum explicatio, lectio, & omnis tractatio S. Scripturae sine auxilio S. Spiritus sit inutilis, ideo illud semper implorandum & expectandum esse monet, sicut nautae omnibus rebus paratis ad nauigandum auram aspirantem solent expectare.

Homil. de Spiritu S.

De Sacramento Baptismi.

Catechis prima ad eos, qui illuminari volunt.

§. 47. Doctrinam hanc explicaturus in Homilia quadam, ait, se prius voluisse dicere, quare Patres totius anni tempus praetereuntes voluerint illo potissimum tempore (nempe septimana ante Pascha) filios Ecclesiae (adultos ex Ethnicis conuersos) μυσταγωγείσθαι Christo consecrari, & quare nos vestibus solutos & exutos, nudos sine calceis sola togula amictos ad voces τῶν ἐξορκιζόντων, Exorcisan-

1259

cisantium mittant. Nam hoc non temere factum esse, sed μουσικόν τινα λόγον, mysticam quandam rationem habere. (Vnde de ritibus externis, & de Exorcismo ante baptismum vsitato, quaedam colligi possent.) Sed iam magis necessarium esse dicere, quid sit baptismus, quare introductus, & quid boni nobis afferat. (Mauult igitur de salutari vsu & efficacia baptismi, quam de externis ritibus, a quibus non dependet salus nostra, loqui.) Posthaec explicat nomina baptismi ex sacris literis, quod dicatur Lauacrum regenerationis, Φώτισμα, illuminatio, Hebr. 10, 32. Βάπτισμα Gal. 3, 27. συνταφή, conssepultura, Rom. 6, 4. Circumcisio Col. 2, 1. σταυρός, Crux, Rom. 6, 6. Et primum nomen, Lauacrum Regenerationis, vberius explanat. Habere homines communia sua balnea, ad ablendas corporis fordes. Habuisse Iudaeos suas purificationes legales, quando cadauer attigerint, ad tollendas impuritates non quidem a natura, sed a conscientiae infirmitate ortas. Rom. 14, 14. Sed his omnibus longe praeferendum esse, hoc Lauacrum, institutum ad tollendas veras fordes animae coram Deo, culpam & reatum peccatorum. 1. Cor. 6, 11. Sicut scintilla incidens in mare statim extinguitur; ita malitia nostra per Lauacrum baptismi tollitur. Sic dicendum fuisse, ait, Lauacrum

remissionis peccatorum, quia omnia peccata nobis remittuntur. Sed dici *Lauacrum regenerationis*, quia non solum remittat Deus nobis peccata, non solum purget, sed ita purget, ut simus *ἀνωθεν* denuo *geniti*. Deum nos *denuo creare* & reparare, denuo quasi *fundere* (*ἀναχωνέειν*) sicut vas fusile, sicut columna aenea rubigine corrupta per ignem liquefacta refunditur, & fulgida redditur. Illustrat simili de vasibus figuli, Ps. 2, 9. Ier. 18, 4. *sicut figulus refingit vasa, sic Deus in regeneratione nostra corda*; Idque non solum in baptismo, sed & postea in seria *resipiscentia lapsorum post baptismum* &c. Haec obseruata proderunt in praxi, non solum *ad solatium* contra adhaerentes peccati sordes, Christum enim induimus in baptismo, tegentem eas; sed & *ad studium* pergendi in sanctificatione, ut quotidie magis magisque purgati maneamus renati filii Dei, iustificati, haeredes vitae aeternae; Quod olim significabatur stolis albis.

De Sacramento coenae Dominicae.

§. 48. Sicut per Baptismum Christo nos inserit; sic per salutarem Vsum Coenae Dominicae in Christo nos manere, & fructus ferre, Spiritus Sanctus efficit. Quod docet Chrysoft. ex Ioh. 15, 1. seqq. De ritibus externis, an corpus & sanguinem Dominicum cum pane vino intincto simul

mul

mul sumere praestet, parum imo nihil meminit, obseruans ritus tunc temporis in Ecclesia vsitatos, vbi iuxta institutionem Christi corpus Domini cum pane, sanguis cum vino seorsim manducabatur & bibebatur. Vtriusque speciei expresse meminit: ὅσοι μετέχομεν ἔσώματῳ, ὅσοι ἔσάματος ἀπογευόμεθα τῆς. *Quotquot participamus de corpore, quotquot gustamus de sanguine hoc.*

Comm.
in Eph.
1, 23.

Sed de salutari perceptione & efficacia Sacramenti multa inculcans passim adhortatur, vt reuerentes gratiosam Domini praesentiam studeamus digna eo vti. ἐννοεῖτε, ὅτι ἔμῃδεν ἐκεῖναι διαφέρουσι, ἔδὲ διεσῶται μετέχομεν, ὅτι ἐκεῖναι ἔάνω καθημέναι, ἔπροσκυνημέναι παρὰ Ἀγγέλων, ἔτῆς ἀκηράτης δυνάμεως ἐγγύς, τῆς ἀπογευόμεθα. *Cogitate, quod de corpore non alio, non dissito participemus, quod de illo, quod in caelo sedet, ab Angelis adoratur, purissimae virtuti prope est, gustemus.*

Et tremendum hoc esse Mysterium agnoscens exclamat: οἴμι, πόσαι πρὸς σωτηρίαν ἡμῖν ὁδοί; O, quot sunt nobis ad salutem viae! σῶμα ἡμᾶς ἑαυτῆ ἐποίησε, σῶμα ἡμῖν τὸ ἑαυτῆ μετέδωκε, *Corpus nos suum fecit, corpus suum nobis dedit.*

Ali-
bi refert, Virum quendam sanctum, in vsu S. Coenae vidisse, in visione quadam, Angelos albis stolis indutos astare

De Sacer-
dotio
λογ. 5.

circa altare, oculis in terram defixis, reuerentes Maieftatem praefentis Domini. Alium vidiffe eos, qui digne manducauerant, ab Angelis, ceu fatellitibus, domum deductos effe. Propter hanc Domini praefentiam gratiofam olim Ecclefia ante communionem inftituit τρις ἅγιον illud Efaiae 6. *Sanctus, sanctus, sanctus est Dominus Deus Zebaoth. &c.* Quod etiamnum retinetur in Ecclefiis noftri temporis. Vtinam hanc praefentiam Domini reuerentes, etiam digne accederemus, corde contrito, & fideli, efuriante & fitiente! Sic Dominus, qui vniuerfam terram replet fua Maieftate, corda etiam nofta repleturus effet fua Gratia, folatio remiffionis peccatorum, & ductu Spiritus fui Sancti, ad omne opus bonum nos impellentis & adiuuantis.

V. *De tribus Hierarchiis, & aliis ordinibus in Ecclefia, eorumque officiis.*

§. 49. Spiritus S. per praedicationem Euangelii non folum vocat & colligit vera Ecclefiae membra; fed inter ea varie distribuens dona fua, ad varia quoque Ecclefiae munia idonea ea reddit & vocat. Quod ex I. Cor. 12. Chryfoft. docuit, vtque fidelis Epifcopus quemque fui officii grauitate admonuit. *Magiftratum Christianum* exhortatus est ad φιλοσοφίαν
αυ

αν, Ἔ *amorem* subditorum, ἡ γὰρ πατέ-
 ρα ἔ τὸ γεννῆσαι μόνον ποιῆι, ἀλλὰ ἡ τὸ φι-
 λῆν μετὰ τὸ γεννῆσαι, ait. *Patrem facit*
non solum generatio, sed ἔ amor postquam
generavit. Et hic ex sacris literis incul-
 cavit exempla eorum, qui subditis lauda-
 biliter praefuere, utpote, *Samuelis, Davi-*
dis, Abrahami, Eliae, Mosis, ἡ γὰρ τέχνη
 τὸ ἀρχειν ἐστίν, ἔκ ἀξίωμα μόνον ἡ τέχνη
 τεχνῶν ἀπασῶν ἀνωτέρα. *Nam imperare*
ars est, non solum dignitas; Et ars artium
omnium suprema. Subditos ad obedientiam
 ex Rom. 13. *De hac, ait, Paulum saepius lo-*
 qui, non in hac solum ad Romanos, sed &
 in aliis Epistolis, ut serui Dominis, sub-
 diti Magistratibus suis sint subiecti, o-
 stendens, *Christum sua Doctrina non euerte-*
re, sed emendare velle communes Politias, ἔ
a bellis superuacuis ἔ inutilibus debortari.
 Reddite itaque omnibus, quae debetis,
 tributum, cui tributum, vectigal, cui ve-
 ctigal, timorem, cui timorem, honorem
 „cui honorem debetis. Si haec, ait, De-
 „us praecepit, cum adhuc ἔλληνες, Ethnici
 „essent principes, quanto magis nunc o-
 „portet fieri, cum fideles sint. Cum ti-
 „more adesse principibus, seu eorum maie-
 „statem reuereri, non dedecet hominem
 „Christianum, ex Deo natum. Nam De-
 „us ita vult, ut princeps typum Dei ge-
 „rens, suam habeat potestatem. Neque

Comm. in
2. Cor. 8,
13.

Comm. in
h. l.

„inde vilesces, ait, quando principem,
„honoras, verum quando eum conte-
„mnis. Et ipse princeps te plus admira-
„bitur, tuumque glorificabit Dominum,
„licet infidelis sit.

§. 50. Quid de Ministerio verbi diuini
sentiatur, satis prolixè exposuit in suis de
Sacerdotio sermonibus, vbi dignitatem,
difficultatem, pericula, vtilitatem & offi-
cia satis accurate descripsit. Docuit non
solum quomodo veritas diuina ex verbo
Dei circumspectè & solide sit proponen-
da, sed quomodo ea quoque vita sancta
fit ornanda. *Τῶν ἀκρίτων αὐτῶν καθα-
ρωτέραν τῷ ἱερεῖ τὴν ψυχὴν εἶναι δεῖ· ἵνα
μήποτε ἔρημον αὐτὸν καταλιμπάνῃ τὸ πνεῦ-
μα τὸ ἅγιον. ἵνα δύνηται λέγειν, ζῶ δὲ, ἔκ
ἐτι ἐγὼ, ζῆ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός. Animam Sa-
cerdotis ipsis radiis solaribus puriorem esse de-
cet, nequando ipsum desertam relinquat Spi-
ritus Sanctus, vt possit dicere: Viuo, non ad-
huc ego, sed viuit in me Christus. Et quam
seuerus fuerit suo tempore contra Cleri-
cos, inordinate viuentes, ventri seruien-
tes, ebrietati, auaritiæ & aliis enormibus
vitiis deditos, testatur historia eius. Quid
iam dicturum eum esse putamus, si re-
diuius nostrorum temporum corrupte-
las aspiceret? Nec minus grauitè a
Contentionibus eos dehortatus est, & a
coeco Zelo damnandi proximum, ex
crassa*

De Sacer-
dotio
λογ. 5+

1265

crassa ignorantia. Audiamus eius que-
 relam in Homilia *περὶ τῆ μὴ δεῖν ἀναθεματί-
 ζειν &c. de eo, quod non oporteat anathema-
 tizare viuos aut mortuos. Εἰς τοσαύτην κα-
 χεξίαν ἤλασε τὰ ἡμέτερα. &c.* In eum
 „morbi statum perductae sunt res nostrae,
 „vt velut in agone iacentes nesciamus an
 „peiora restent. Adeo vt impleta sit in
 „nobis vox Prophetæ: (Es. 1, 6.) Non est
 „remedium, quod ad emolliendum ad-
 „hibetur (*μάλαγμα*) non oleum, non
 „obligatio vulneris. Vnde enim incipi-
 „am differere de hoc malo? An ab in-
 „stitutis praeceptorum Dominicorum, an
 „ab irrationali ruditate, & insensibilitate
 „nostra? Nunquid non ridebor a qui-
 „busdam haec dicens, & videbor impos-
 „mentis esse? Anne reclamabitur mihi
 „tam tetrica & lacrymis digna dicturo?
 „Sed quid patior? Doleo & compungor
 „in animo, viscera commouentur mihi,
 „quando tantum stuporem video, quod
 „mala nostra superent Iudaicam trans-
 „gressionem & Ethnicam impietatem. Ac-
 „cedens enim seu attendens video viros,
 „qui vel parum in sacris literis exercitati
 „sunt, vel omnino nihil intelligunt, mul-
 „ta prae rubore reticeo, insanientes &
 „cauillantes, nescientes vel quae dicant,
 „vel de quibus asseuerent, indocte saltem
 „praedicantes, audentes etiam anathe-
 ma-

„matizare, quae non intelligunt, adeo ut
 „nostra rideantur ab iis, qui alieni sunt,
 „a fide, nec conuersationi bonae studen-
 „tes, nec benefacere discentes. Addit
 exclamationem: ὄμοι τῶν δεινῶν, ὄμι. *O*
quam atrociam mala! Eodem modo mala
 nostri temporis, si viueret iam, deplora-
 turus esset. Plura legi possunt in Homi-
 lia ista, quam allegauimus.

Homil. 6.
 contra A-
 nom.

§. 51. Ut Ministros verbi, sic Auditores
 saepius adhortatus est ad diligentiam,
 in audiendo & discendo, & eorum ῥαθυ-
 „μίαν, segnitiam corripuit. Surgite, ait,
 „& vigilate. Inter nauigandum enim,
 „etsi omnes obdormiant, solus autem gu-
 „bernator saltem vigilet, nullum quidem
 „est periculum, dum illius vigilantia &
 „ars sufficit regendae nauis. Sed hic non
 „ita se res habet; Etsi enim docens vel
 „millies vigilet, nisi audientes, eandem
 „vigilantiam adhibeant, submersum no-
 „bis verbum peribit, non inueniens men-
 „tem quae illud excipiat. Quare oportet
 „nos vigilare. Nam de maiori hic
 „lucro agitur. Non enim propter au-
 „rum & argentum, non propter bona
 „transitoria nauigamus, sed propter vi-
 „tam futuram, & coelestes thesauros. Et
 „plures hic sunt viae, quam in mari & in
 „terra. Has nisi quis accurate nouerit
 „obseruare, difficillimum sustinebit nau-
 fra.

„fragium, &c. Hinc, quando difficilia & sublimia e verbo Dei proponere & explicare vult, saepius mentes Auditorum ex suscitare consuevit his verbis: πρόσ-
 εχε, παρακαλῶ. *Attende, quaeso.* Attentionem quoque & intellectum tanquam donum Spiritus S. apprecari solitus est. ἡ γὰρ ἐξ ὧν λογιζόμεθα, ἢ φθεγγόμεθα, ὁ δὲ Θεὸς συνίσταται λόγῳ, ἀλλ' ἐξ ὧν φωτιζόμεθα, καὶ ἡ εὐσέβεια συνίσταται, καὶ ἡ ἀλήθεια κηρύσσεται. *Non ex iis, quae cogitamus aut loquimur, Verbum Dei commendatur, sed ex iis, per quae illuminamur, pietas commendatur & veritas praedicatur. Solum verbum Dei, sola Spiritus S. doctrina Lampas est pietatis, praedicatio agnitionis Dei, & illuminatio diuinae doctrinae.* Nec ad auditum solum sed & ad praxin verbi frequenter adhortatus est. Habuit Auditores saepe applaudentes, sed hoc applausu non contentus requisivit vitam verbo conformem. ἔδεν ὄφελος ἀκροάσεως, ὅταν ἡ διὰ τῶν ἔργων ἐπίδειξις μὴ συμβαίη τοῖς λεγομένοις. *Nil iuuat auditus, quando demonstratio per opera non accedit ad dicta.* ταῦτα μὴ μόνον ἐνταῦθα φιλοσοφῶμεν, ἀλλὰ καὶ ὅταν καιρὸς αὐτῶν ἦ, μνημονεύωμεν. *Haec non solum hic philosophemur, sed cum tempus venerit, recordemur.* μὴ μόνον ἐπαινήσατε τὰ λεγόμενα, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἔργων δείξατέ μοι τὸ ἔπαινον. *Non solum*

Homil.
de Spiritu
S.

Homil. 2.
contra
Iudaeos.

Homil. 1.
contra A-
nom.

lum laudetis dicta, sed factis ostendatis laudem.

§. 52. Coniuges admonens nihil praescribit de ritibus Nuptialibus, liberos eos unicuique genti relinquit. Nihil praecipit de lecto coniugali, super congeriem quandam e variis frugum manipulis contextam praeparando, circumpositis aliis vasibus, frumento plenis. Nihil de gestibus & iocis, aliisque moribus impudicis, Ethnicam superstitionem & libidinem redolentibus. Haec omnia cum Paulo corripit, *τίμιον ἢ γάμον*, seu *honorable Coniugium, & cubile impollutum* requirens, scortatoribus vero & adulteris iudicia Dei denuncians. Saltem officia Coniugum exponit Eph. 5, 21. seq. eosque ad mutuam benevolentiam & concordiam exhortatur. Atque id potissimum *in Christo*, seu exemplo Christi & Ecclesiae. Vxor ne exprobret marito paupertatem, quod non sicut aliae mulieres auro & gemmis ornata possit incedere; Non appellet eum ineptum virum, quod non lucro & diuitiis cum Mundo inhiet. *Corpus non debere imperare capiti, sed obedire, ut Ecclesia Christo.* Maritus ne saeuis verbis aut verberibus eam adriatur, (haec procul abesse vult ab animis liberalibus;) sed infirmitates eius ferat, & verbis placidis corrigere studeat, *ex amore*

Comm.
in h. l.

more, sicut Christus diligit Ecclesiam. Postea instruit νεογάμους, nouos Coniuges, quomodo christiane viuere & mutuam concordiam alere & seruare possint. Consultat marito, vt in nuptiis euitet omnem luxum, omnia inordinata, & indecentia, nec ὀρχήματα, tripudia, nec ἀσέμνης ᾠδὰς, cantilenas inhonestas concedens. Hoc quanquam multis videatur ridiculum, esse tamen consilium salutare. πάντα τὰ ἄσματα τὰ αἰσχρὰ, τὰ σατανικὰ, τὰς ἀσέμνης ᾠδὰς, τὰς συνδρομας τῶν ἀκολάσιων νέων περιέλε & γάμος. Omnia cantica turpia, Satanica, inhonestas cantilenas, concursus iuuenum luxuriantium tolle e nuptiis. Post nuptias, dum primus adhuc feruet amor, coniugem suam blandis verbis erudiat, proponens commoda & incommoda, quae sana ratio potest comprehendere, adhibens monita Verbi diuini, & Dei voluntatem inculcans; Atque haec omnia ex amore. Sic fore, vt eam suis moribus assuefaciat sibi que reddat consentientem & morigeram. Vt seruetur hic consensus, opus esse precibus communibus, & meditatione verbi. Audiant verbum Dei quoque in Ecclesia, & domi quae ex lectis & dictis retinuerint, sibi inuicem recitent &c. Haec & alia huiusmodi monet, quae si obseruarentur a Coniugibus, non tot mala exempla visuri, non tot querelas de

de

de infelici matrimonio, de perfidia & adulterio, de rixis, & aliis scandalis in Ecclesia audituri essemus.

§. 53. Cum in statu oeconomico, non solum inter coniuges, sed & inter Parentes & liberos, heros & seruos, vicinos & cognatos, ex intemperantia linguae, multæ lites, contentiones, inimicitia, multa peccata, & multa mala oriuntur; Linguam refrenandam esse, & abstinendum non solum a blasphemis, maledictionibus, mendaciis, periuriis, contumeliis, conuitiis, & aliis eiusmodi scandalis; Verum etiam ab omnibus temerariis iuramentis, & profanis dicteriis, vulgo vitatis, quibus nomen Dei profanatur, & proximus offenditur, &c. saepius grauius monuit. Vnde *περὶ ἧ μὴ ὀμνύειν*, *de non iurando*, Matth. 6, 34. sq. Iac. 5, 12. (quo non legitima Hebr. 6, 16. sed temeraria iuramenta, & omnia linguae vitia prohibita censuit,) multa occurrunt in Homiliis eius, partim Antiochiae, partim Constantinopoli habitis. Quod mala hac & inueterata in Mundo consuetudine vulgi ipsum offensum, decenti zelo haec peccata corripuisse testatur. Prae primis haec cauenda esse docet Christianis per baptismum Christo insertis, & luctam aduersus Diabolum & hostes spirituales aggressis, in Homilia de Baptismo

mo

mo, quae dicitur *κατήχησις πρώτη*. &c. Vbi cum lingua facile peccare possimus, multi enim per gladium, plures per linguam lapsi sunt, Sir. 28, 22. omni diligentia eam refrenandam & continendam esse docet, etiam a verbis inutilibus. Matth. 12, 36. 37. Hic sibi non vult opponi Patrum seu Antecessorum conuiuentiam. Non enim, quid illi dixerint, sed quid Christus dixerit, attendendum. Et in omnibus promiscue si Patres sequi velimus, etiam Dauidem in adulterio sequi, non fore periculosum; Quod absurdum. Patres non in delictis & erroribus, sed in virtutibus & bonis operibus esse imitandos. Nec consuetudinem sibi vult obiici, sed malam consuetudinem contraria bona esse corrigendam. Hoc vt fiat, consulit, Amicis, quibuscum quotidie conuersamur, esse dandam eam licentiam, vt nos peccantes corripiant, quoties audiunt. Hoc nobis & illis profuturum ad emendationem linguae. Nam peccata, quae corripunt, ipsi vitabunt. Deinde certum tempus huic emendationi esse determinandum, imposita nobis mulcta, si intra istud tempus non correxerimus linguam. Hoc freno linguae imposito, per Dei gratiam possibilem fore hanc consuetudinis mutationem. &c. Monitum sane salu-

Cateche-
fis prima
de illumi-
nandis,
Tom. 6.
p. 855.

K

salu-

saluberrimum, quod testabuntur, qui experiri volunt.

§. 54. Erant eo tempore praeter enumeratos hos tres status, alii ordines in Ecclesia, qui tamen ad hos quoque referebantur. Erant Virgines, & viduae coelibes, Episcoporum curæ commissæ. Erant Ascetae, μονάζοντες, seu Monachi, qui extra vrbes & vicos, in solitudine degentes, in studio sacrarum literarum, & in praxi potissimum, seu mortificatione veteris & viuificatione noui hominis, adeoque studio sanctimoniae se exercebant. Et hi Episcopis vicinis erant subiecti, qui eorum propositum non solum laudabant, non in contemptum Coniugii, (quod primis illis temporibus in Ecclesia liberum erat, & in libertate relinquebatur cunctis, in quocunque statu vel ordine Ecclesiastico viuerent, nisi quod illi, qui coelibatum sponte vouerant, admonerentur, in proposito constantes permanerent, iuxta sententiam Beati Apostoli. 1. Cor. 7.) sed ad promouendam eorum sanctificationem ad Gloriam Christi; Sed & eorum exercitia dirigebant. Atque hos quoque sui officii diligenter admonuit Chrysostronus, quod testantur Epistolae, & Homiliae, de *Com-punctione*, de *Ieiunio*, de *Virginitate*, seu *Cœlibatu*, ad *Iunio rem viduam*, ad *πολεμῶντας*

τας

τας τοῖς ἐπὶ τὸ μονάζειν ἐνάγχοι aduersan-
 tes iis, qui ad vitam solitariam introducunt :
 Vbi defenditur propositum & institutum
 illud sanctum, & studium sanctimoniae
 contra profanos & irrisores; De charita-
 te perfecta, quam passim quoque com-
 mendat tanquam matrem omnium virtu-
 tum, eiusque exercitium monstrat erga
 dissentientes, erga proximum conuerten-
 dum, erga inimicos; (Vbi in quadam Ho-
 milia vrget, quod non oporteat euulga-
 re peccata fratrum, neque inimicis impreca-
 ri;) Erga fratres, vt eorum profectibus
 & bonis operibus non inuideamus, sed
 ex animo faueamus. Monita cuique
 secundum statum & profectus suos con-
 uenientia, cuique σιτομέτριον suum dare
 voluit. Nec non de patientia & aliis
 virtutibus in lucta spirituali, & tentatio-
 nibus, Eph. 6, II. sq. egregia habet, qui-
 bus a deliciis ad luctam nos exhortatur,
 & luctantes consolatur.

Homil. I.
 De In-
 compre-
 hens. con-
 tra Anom.

Comm.
 ad Rom.
 4. v. 31.

Comm.
 in h. l.

§. 55. Preces denique, omnibus Chri-
 stianis, in omnibus Ecclesiae statibus, in
 omnibus vitae necessitatibus, in omnibus
 afflictionibus & tentationibus, tanquam
 optimum & efficacissimum remedium,
 non solum integris Homiliis, sed passim
 in scriptis suis commendauit. Audiam⁹
 eum de harum efficacia, & exauditione
 disse-

K 2

disse-

Hom. 5. de
Incom-
prehens.
contra
Anom.

„differentem: Ad preces (nempe pro
„Aduersariis) nos totos conuertemus.
„Quanto magis illi impie agunt, tanto
„magis pro illis rogabimus, precantes, vt
„aliquando desistant a furore. Id enim
„acceptum est coram Deo Salvatore no-
„stro, qui vult omnes homines saluari, &
„ad agnitionem veritatis peruenire. Non
„igitur intermittemus pro iis supplicare.
„Magnum est enim armamentum preca-
„tio, thesaurus nunquam deficiens, diui-
„tiae inexhaustae, Portus sine fluctibus,
„fundamentum tranquillitatis, & mille-
„norum bonorum radix, fons & mater,
„est precatio, καὶ αὐτῆς τὴ βασιλείας δυνα-
„τωτέρα, imo Regno (seu Regia quoque
„potestate) potentior. Saepe enim ge-
„stans Diadema iacet in lecto, aestu fe-
„brili correptus; Circumstant Medici,
„Satellites, Ministri, milites. Sed in hoc
„aestu neque Medicorum ars, neque a-
„micorum praesentia, neque ministro-
„rum promptitudo, neque pharmaco-
„rum copia, neque praeparationis varie-
„tas, neque diuitiarum abundantia, ne-
„que vllum rerum humanarum aliud
„quippiam, aegroto solatium aut leuamen
„afferre potest. Si quis vero, παρρησίαν
„fiduciam habens erga Deum ingressus
„fuerit, corpus saltem attigerit, & puras
„pro ipso preces fuderit, omnem aegritu-
dinem

„dinem corporis abegit. Quod igitur
„non potuit Diuitiarum abundantia, Mi-
„nistrorum multitudo, Artis medicae pe-
„ritia, & Regalis Dignitas, id saepe po-
„tuit pauperis precatio. Precationem
„vero dico non obiter & negligenter fa-
„ctam, sed ardentem instantem, ex anima
„dolente, & mente intenta. Ea enim
„coelum petit. Et sicut aqua, quamdiu
„in planitie diffluit, non sursum fertur,
„sed quando accedit manus aquaeducto-
„ris, eam intra canales constringens &
„deorsum cogens, tunc pressa erumpit, &
„instar iaculi in altum fertur. Ita mens
„humana, quamdiu securitate fruitur,
„diffunditur & diffluit; Quando vero re-
„bus aduersis incumbentibus deprimi-
„tur & angitur, pressa quoque castas & in-
„tensas in altum emittit preces. Et vt
„discas, illas potissimum preces, in afflictio-
„ne factas, exaudiri, audi quid loquatur
„Propheta: Ad Dominum cum tribularer
„clamaui, & exaudiuit me. Excitemus
„igitur conscientiam, affligamus animam
„memoria peccatorum, affligamus, non
„vt anxii reddamur, sed audiri praepara-
„ti, vt sobriam & vigilantem eam facia-
„mus, quae possit coelum attingere. Ni-
„hil adeo pellit socordiam & segnitiam,
„quam dolor & afflictio vndiq; colligens
„mentem & cogens vt ad seipsam redeat.

„Qui sic affligitur & precatur, multum
 „voluptatis post preces in animam intro-
 „ductum inueniet. Sicut nubium con-
 „cursus aerem initio obtenebratum red-
 „dit, sed effusa niue aut pluuia, & denfi-
 „tate iterum soluta, omnia quoque rur-
 „sum tranquilla & clara in aere fiunt; Ita
 „dolor & tristitia quamdiu interius ver-
 „satur, cogitationes nostras obscurat;
 „Postquam vero per verba precum cum
 „lacrymis coniuncta dissipatus & expul-
 „sus fuerit dolor, multum lucis & clari-
 „tatis afferet animae, Auxilio Dei instat
 „radii in mente precantis remansuro.

VI. De Nouissimis.

§. 56. Spiritus S. solatur fideles in vita
remissione peccatorum, in morte *resurrectio-
 ne a mortuis*. Vnde in Symbolo non so-
 lum dicitur: *Confiteor vnum baptisma in
 remissionem peccatorum*; sed additur: *Et ex-
 pecto resurrectionem mortuorum, & vitam
 venturi seculi*. Quibus verbis Articuli fi-
 dei de nouissimis, de morte, & resurre-
 ctione, de extremo iudicio, & consummatione
 seculi, de gloria vitae aeternae, & cruciatibus
 Gehennae, indicantur. Hi articuli firma fi-
 de retenti & quotidie considerati, mul-
 tum ad veram Conuersionem, & vitae e-
 mendationem momenti, multum in affli-
 ctionibus & tentationibus solatii afferunt.

Quare

Quare Chrysofomus ad hunc potissimum scopum respexit, exclusis quaestionibus curiosis, quando dictos Articulos tractat. Quod paucis iam videbimus e tribus Homiliis, quarum prima est habita de iis qui obdormierunt, altera de terrae motu, & de diuite & Lazaro, tertia de resurrectione. In homilia priore explicans locum 1. Theff. 4, 13. sq. Mortem ait piorum nihil esse nisi somnum. Quia nimirum mortis stimulus, peccatum per Christum sublatum, peccati potestas, Lex, per Christum soluta est, & fideles a peccato, & tyrannide Satanae, & metu Gehennae in Baptismo sunt liberati, quod alibi ex 1. Cor. 15, 56. 57. docet. In altera explicans exemplum Lazari, statum animae fidelis post mortem indicat, in Sinu Abrahae, in loco beato, ab omni malo liberatae, fruuentis Consolatione coelesti. Quod probat verbis Abrahami ad Epulonem: *Memento, quod receperis tua bona, in vita tua; Lazarus vero similiter mala. Iam vero ille consolationem habet, tu vero cruciaris. Vbi notat, quod non dicatur ἔλαβες, acceperis, sed ἀπέλαβες, receperis. Accipere dicimur ea, quae non habuimus, quae nobis gratuito donantur. Recipere vero eo, quae habuimus, quae nobis debentur aut competunt. Haec porro deducens, supponit, Deum unicuique retributu-*

rum esse secundum opera, idque vel hic, vel illic; Vel hic mala, & illic bona; vel hic bona, & illic mala. Facta hic retributione bona, restare illic malam, & vice versa. Deinde supponit, neminem esse adeo iniustum, quin aliquid recte & iuste egerit in vita; Et neminem adeo iustum, quin alicubi errauerit, peccauerit aut inique egerit. Quod dictis & Exemplis S. Scripturae confirmat, praesertim S. Pauli, qui licet inter sanctos fuerit sublimior, tamen fateatur: Nihil quidem mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. His praesuppositis ait, Epulonem in vita, sua recepisse bona, iam post mortem restare mala; Lazarum vero in vita, sua recepisse mala, iam post mortem restare bona. Ex his facile quidem patet, quid senserit de purgatorio, nempe nullum esse post mortem, sed hic in vita fideles resipiscentes per afflictiones castigari & purgari, purgatos post mortem in Sinu Abrahae plenam consolationem habere; Infideles & impenitentes vero in Gehenna cruciari, & ultimum iudicium, & ignis Zelum, qui comesturus est aduersarios Hebr. 10, 27. expectare. Patet etiam, quid senserit de beatifica visione Dei, quod ea non prorsus neganda sit fidelibus in Christo defunctis, in Sinu Abrahae coelesti solatio fru-entibus; (conf. Es. 66, 13. Apoc. 7, 15. 16. 17.)

Nam

Nam finitis malis restare bona ; Quamuis ea in resurrectione & extremo iudicio futura sit longe clarior & excellentior. Sed curiosa hæc silentio præteriens ad moralia se conuertit, & monet mortem semper meditandam, bona hæc temporalia, tanquam transitoria parui facienda, diuites propter felicitatem non beatos prædicandos, nec pauperes propter afflictiones & miseriam temere iudicandos esse.

Quando uideris iustum hic afflictum, *μακάριζε αὐτὸν beatum cum prædica, & dic: iustus hic uel peccatum habet, & illud recipit, ἢ ἀπέρχεται ἐπεὶ καθαρὸς, & abit illuc purus ;* (NB. si purus moritur, quomodo post mortem ulterius purgandus erit, ?) *Vel πλεόν τῶν ἁμαρτημάτων ἰκαλάζεται, ἢ προσηθήκη δικαιοσύνης αὐτῷ λογίζεται, i. e. non propter peccata sua, sed propter iustitiam patitur, & hoc μισθὸν πολὺν, maiorem Gloriæ mensuram illi afferet. Matth. 5, 10. 12. 2. Cor. 4, 17.*

§. 57. *Resurrectionem uniuersalem futuram contra Atheos firmis argumentis ex sacris literis probat in Homilia de Resurrectione, ubi explicat uerba Pauli 2. Cor. 5, 1. 2. 3. 4. Et primo rationem ostendit, quare Paulus hoc solatium ingerat de resurrectione & futura gloria coelesti ; Nempe propter afflictiones fidelium in Mundo, quae initio Euangelii,*

πρῶτον

K 5

tem-

tempore Pauli fuerint grauiores, quam
 isto tempore, quo haec scripsit Chryso-
 stomus. Nam nunc, ait, per Dei gra-
 tiam magna fruimur pace. Etenim Re-
 ges in pietate viuunt, Principes verita-
 tem esuriunt, Populi, Ciuitates, Gentes,
 a seductione liberatae, Christum omnes
 adorant. Iphis vero in principio praedi-
 cationis femina pietatis spargentibus
 multa fuere certamina diuersa & varia,
 contra Reges & principes, contra co-
 gnatos & domesticos, non solum extra
 sed & intra Ecclesiam. Quorum diffi-
 cultates porro describit, & ostendit, fide-
 les luctantes maxime opus habuisse eo-
 solatio, de corona, de futura Gloria, &
 retributione Dei in resurrectione vni-
 uersali. Paulum quoque subinde eos
 hoc modo ad patientiam exhortari, vt e
 cap. praeced. 4. apparet. Et licet solati-
 um sit de reb9 futuris & inuisibilibus, eas
 tamen magis certas esse, quam res prae-
 sentes & visibiles, quia praesentia &
 visibilia *sunt transitoria*, quae momento ci-
 tius transeant, inuisibilia vero & futura
 sint *aeterna & permanentia*. 2. Cor. 4, 18.
 Nec frustraneum esse laborem, qui
 propter aeterna futura & inuisibilia
 suscipitur, probat similibus de nau-
 ris & mercatoribus, qui propter lu-
 crum, quod non vident saltem sperant,
 non

non detrectant maria trans fretari & multis praesentibus, quae vident, periculis se obiicere. Item *de Colonis*, qui propter futuram spem messis, quam nondum vident, qua quoque saepius frustrantur, non abnuunt durissimos suscipere labores. Nec quisquam est, qui eos propterea appellet fatuos. Promissa vero in futura Retributione praemia longe esse certiora, quae Deus non permiserit aeris tempestatibus aut ventorum turbinibus, sed in coelo repositurum tanquam thesauros inuiolabiles. Imo esse etiam in hac vita aliquam laboris & molestiae in lucta spirituali retributionem, futurae illius quasi praeambulam, nempe interioris hominis fidei, & spei ac patientiae *incrementum, & inuictum robur animi.* Quod innuere ait Paulum, cum dicit: *Licet homo exterior corrumpatur, interior tamen de die in diem renouatur.* Sic certitudinem resurrectionis & futurae vitae aeternae demonstrat ex certissimo hoc solatio, a Paulo saepe inculcato.

§. 58. *Deinde verba illa explicans: scimus quod si terrena nostra domus tentorii dissoluetur, aedificium ex Deo habituri simus, domum non manufactam, aeternam in coelis;* ait, hic Paulum verbis significantissimis corporis nostri mortem & futuram resurrectionem indicare, dum appellat *tentori-*

um, dissolviendum, & aedificium ex Deo, quod praesentis corporis in hac vita fugacitatem, & futuri mutationem in melius designat; quasi diceret: quid gemis, quid lamentaris propter quotidianas corporis afflictiones, cum hoc corpus penitus sit dissolviendum? Cum haec dissolutio sit illud, quod quotidie a Deo rogamus, nempe dissolutio per mortem beatam? Quando dicit Paulus, *scimus*; non scio, sed scimus, consensum Auditorum adiiciens, innuit, se non de rebus dubiis, aut ignotis differere, sed de iis, quas firmiter iam credunt, qui Domini resurrectionem credunt. *Nam & in hoc gemimus, domicilio nostro, quod est ex coelo, superindui desiderantes.* Non dicit, indui, sed *superindui.* Et addit: *Siquidem etiam induti, non nudi inuenti fuerimus.* Haec quae aliquid obscuritatis habere videntur, clariora fieri ex sequentibus: *Nam etiam dum sumus in tentorio, gemimus grauati; quia non volumus exui, sed super indui, ut absorbeatur mortale a vita.* His verbis, ait, conuinci, qui ipsam corporis naturam tanquam malam accusent. Paulum dicere, *Non volumus exui, sed superindui.* *Volumus deponere ἢ τὸ σῶμα, ἀλλὰ τὸ φθόρον ἢ τὸ σῶμα, ἀλλὰ τὸ θάνατον.* Non carnem, sed corruptionem, non corpus, sed mortem. (Corpus saltem esse corruptibile, esse mor-

mortale, non esse ipsam corruptionem, ipsam mortem.) *Corpus est opus Dei, corruptio autem & mors a peccato introducta est.* Volumus igitur exuere quod alienum, non quod nostrum est. Alienum autem est, non corpus, sed corruptio. Quare ait, non volumus exui, hoc est, quod corpus, sed superindui, sc. incorruptibilitate. Exuit itaque corpus corruptionem, induit incorruptibilitatem. Abiicit, quod accepit a peccato, accipit seu possidet, quod dedit Gratia Dei. Id innuunt verba Pauli, *ut absorbeatur mortale a vita.* Superueniens vita non corpus abolebit, sed corruptionem & mortem. Et gemimus, non propter corpus, sed propter incumbentem corruptionem. Quod porro ostendit exemplo sanctorum Apostolorum, qui corporis sui licet mortalis umbra abegerint incorporeos Spiritus, & fimbria vestimenti sui morbos curarint. Corpus esse elegantissimum opificium Dei, quod innuat membrorum structura & connexio. Hoc ergo non concessurum esse Deum, ut penitus intereat, sed quando dissolutum fuerit per mortem, in resurrectione resuscitatum iri. Hinc manifestam fieri resurrectionis certitudinem. Et huic non esse obiiciendam quaestionem *quomodo.*
ὅταν γὰρ ἡ Θεὸς δυνάμεις ἐργάζηται, τὸ πῶς,

πῶς, μὴ προσείδω. *Quando Dei virtus operatur, non iddendum esse, quomodo.* Nam & n naturalibus huius operationis vestigia relicta esse, nempe in grano, quod licet in terra putrescat, tamen resurgit, crescens, pluraque ferens grana. Sic & metalla per ignem purgari, non perdi, sed splendidius restitui. Et qui adhuc dubitare volet, eum creationem primi hominis e puluere terrae considerare debere. πῶς σε παρὰ τὴν ἀρχὴν ἐποίησεν ἐν νόησον, ἢ μηκέτι ἀμφίβαλλε περὶ τὴν ἀναστάσεως. *Quomodo te ab initio fecerit, cogita, nec amplius dubita de resurrectione.*

§. 59. His porro alia addit argumenta, videlicet, *de Creatione Angelorum.* Deus multos angelos & Archangelos, multos ordines coelestes fecit; *Quomodo;* id quidem dicere non possum, ait, nisi quod suffecerit ei solum *velle.* Qui tot exercitus incorporeos creare potuit, quomodo corpus humanum corruptum non poterit renouare & in melius euehere? De anima proprie non dicitur haec resurrectio de corpore. Nam illud saltem resurgit, quod cecidit & dissolutum est. Anima autem non dissoluitur, sed corpus. Et si corpus non resurgeret, quomodo totus homo posset dici resurgere? Docet resurrectionem fore *uniuersalem piorum & impiorum.* Id demonstrat ex verbis

bis

bis Pauli: *Si quidem etiam induti, non nudi inuenti fuerimus.* Hic magnum mysterium subinnui, illud nempe, quod alibi indicat 1. Cor. 15, 22. 23. 51. seqq. *Omnes resurgemus, qui libet in ordine suo.* Quid est, quod dicitur: *Et Graecum & Iudaeum & haereticum & omnem hominem qui venit in Mundum, ea die resurrecturum esse?* Et hoc, ait, Paulum indicasse, cum dicit: *Omnes quidem non obdormiemus, omnes vero immutabimur, in momento, in ictu oculi, in extrema tuba.* Cum igitur vniuersalis sit resurrectio, ait, & communis piis & impiis, bonis & malis hominibus, ne putes iudicium fore iniustum, neque dicas: *Ecce ego fui diligens, & talia feci & passus sum, & resurgo; Num igitur Graecus, & impius, qui Idola coluit & Christum ignorauit, similiter resurget, & eodem honore fruetur?* Ne id dicens in temetipso turberis, audi quid dicat Apostolus: *Si quidem etiam induti, non nudi inuenti fuerimus.* Quomodo autem, qui induerunt incorruptibilitatem & immortalitatem, inuenientur nudi? ὅταν δόξης ὦμεν ἔρημοι, καὶ τὸ πρὸς τὸ Θεὸν παρρησίας ἀποστερημένοι, *quando gloria carebimus, & fiducia erga Deum erimus priuati.* Nam & corpora peccatorum resurgent incorruptibilia, & immortalia, sed ad poenam & cruciatus. Quoniam ignis est inex-

tin-

tinguibilis, etiam eorum corpora erunt incorruptibilia. Impios igitur resurgentes innuit *nudos*, i. e. sine gloria & fiducia erga Deum inuentum iri, non pios indutos Christo, qui in Gratia & fide vixerunt & mortui sunt. Tandem resurrectionis certitudinem demonstrat ex *omnipotentia Dei*, cum Paulus ait: *Qui prae- parauit vos in hoc ipsum, Deus est*, significans, Deum creasse genus humanum, Deum illud rursus resuscitaturum esse. Item ex *Arrhabone Spiritus*, de quo pergit Apostolus: *Qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus*. Pignus est pars bonorum; qui partem accepit, certus esse potest, se totum quoque accepturum esse. *Ita tu quoque, si accepisti pignus Spiritus, charismata*, (quae varie distributa esse, & ad quae referenda esse docet, remissionem peccatorum, iustificationem, sanctificationem adoptionem in baptismo. &c.) *ne dubita de bonis repositis in coelo. &c.*

§. 60. Sic expectans Chrysoftomus resurrectionem & vitam venturi seculi, se & alios suo tempore contra venenum Atheismi praemunire & confirmare voluit. Caeterum tremendum istum diem Universalis resurrectionis, iudicii extremi, interitus mundi, introductionis electorum in vitam aeternam, & abiectiois reprobatorum in ignem Gehennae, non solum

lum

lum tanquam *certum futurum*, sed etiam tanquam *terribilem* proponit ex verbis Apostoli 1. Thess. 4, 16. 17. *Ipse Dominus cum celeusmate, in voce Archangeli, & tuba ultima Dei descensurus est de coelo.* Κέλευσμα erit vox Domini, κελεύσαντος, iubentis & dicentis, *Exeant inclusi mortui, Angeli eos educant.* Haec vox diuina virtute excitabit mortuos, Angeli colligent resuscitados. Sicut Lazarum Christus euocauit e sepulchro, vi verborum, *Lazare veni foras*; Ita resurrectio erit opus potentiae diuinae; Angeli saltem erunt Ministri. Matth. 13, 41. 49. *Vox Archangeli* erit clamor alicuius Principis Angelorum, reliquos ad Ministerium vocantis. *Tuba ultima* indicat, multa tubicinia esse praecessura, vltimo vero Iudicem esse descensurum. Fideles resuscitados & immutatos pariter in aere DOMINO descendentiin occursum, nubibus vectos, venturos esse, ait, *sicut subditi fideles Regi, Filii morigeri Patri aduenienti solent obviam venire.* Reliquos omnes Angelorum Ministerio coram Tribunali Iudicis collectum iri. Plura de apparitione Christi in die extremo non addit, sed iterum ad moralia veniens, docet eam piis quidem iucundissimam, impiis vero valde terribilem fore. Coelorum virtutes commotum iri, Angelos tuba sonaturos esse, Vocem Archangeli

L

geli

geli auditum iri, hæc innuunt, magnum fore tumultum. *Quantus tunc erit tremor & timor hominum in terra, maxime impiorum, cum videbunt, hunc recipi a Deo, illum relinqui?* Timorem hunc ait maiorẽ fore ipsis fere cruciatibus Gehennae, quod ostendit exemplo eorum damnatorum, qui audita sententia ad mortem seu patibulum educuntur. Haec pie meditata prodesse ad maturandam poenitentiam. Postea arguit eos, qui dicebant, Deum hæc saltem *minari*, non vero facturum esse. *Vnde, ait, vos persuadebo? Quando dico, vermis eorum non morietur, ignis eorum non extinguetur, quando dico, ibunt in ignem aeternum, quando diuitem Epulonem iam in flammis eiu-lantem vobis propono, dicitis, saltem minas esse. Satanicum hoc est verbum, Gratiam datam vobis inutilem, & vos segnes faciens.* *Λοιπὸν ἔτι ἔτι λόγον, ἀλλὰ πράγματα ἐρῶ.* Caeterum non amplius verba, sed res ipsas loquar. Et remittit eos ad historiam Diluuii, cuius veritatem testentur montes *Armeniae*, in quibus *Arca Noachi* relicta fuit; Et ad historiam horrendi exitus *Sodomaeorum*, cuius veritatem testetur lacus, adhuc in *Palaeftina* visibilis, & terra, & arbores circa eam, & omnes fructus arborum, externo aspectu iucundi, sed intus cinere pleni. *Τῆς προλαβέσης ὀργῆς εἰκό-νες, τῆς μελλέσης τεκμήρια, irae acceptae*
- firmu-

simulacra, futurae indicia infallibilia. Εἴ τις ἀπίσει τῇ Γεέννῃ, τὰ Σόδομα λογίζεσθω. Qui non credit Gehennam, cogitet Sodomam. Haec maluit inculcare ceu salutaria impiis ad resipiscentiam maturandam, piis ad sanctimoniam vitae continuandam.

Homil. de
Resurr.



CAP. IV.

DE

VIRTUTIBUS ET
ADUERSARIIS EIUS.

§. I.

Sicut Doctrinam Ecclesiae Christi Apostolicam & orthodoxam amplexus & confessus est; ita eandem quoque vita sancta condecoravit, & eximium decus Ecclesiae, & virtutum exemplar fuit. Unde mirum non est, quod undique tot inuidiae [quae virtutis comes est] talis impetitus, tantis maleuolorum odiis expositus fuerit. Corporis, e quo virtus emicabat, statura erat brevis, vultus hilaris, mores ad humanitatem compositi. Oculi sub fronte reconditi, frons exporrecta, & cum senesceret, rugis plena, facies oblonga & macilenta, barba brevis & tenuis, capilli rari cum caluitio, vel, ut ait Palladius, κράνιον Ελισαιχόν, Caput, quale fuit Elisae Prophetae. Moribus

L. 2

exter-

Hom.
de
Resurr.

externis pium referebat Ascetam, mundo mortuum, Christo viventem, qui corpus cum omnibus membris mortificatum & Spiritui habebat subiectum. Prae caeteris in vita conuersatione, & functione officii sequentes elucebant virtutes, nempe, *assiduitas* in docendo & exhortando, diligentia & dexteritas in meditando, & eruyendo genuino S. Scripturae sensu, *temperantia* in cibo, potu, & cultu corporis, *cura pauperum* & charitas erga miseros & afflictos, et *zelus* pro gloria Nominis diuini, & salute animarum, cum *parrhesia*, sine respectu personarum, & perseuerantia coniunctus, Mundi minas & blanditias posthabente. De quibus iam pauca adiciemus.

§. II. Quam *sedulus*, & *assiduus* fuerit in docendo & monendo, ostendunt homiliae eius, quas Antiochiae & Constanti-
nopoly habuit. Ad quas, cum forte morbis impeditus pergere non posset, reconualecens cum gaudio redire solebat, teste Photio, ita ut aegrius ferret silentium suum quam morbum suum. Non molestum ei erat saepius eadem repetere & inculcare, modo Auditores adessent attenden-

Hom. 5. tes. Εἰ καὶ χθὲς καὶ πρὸ ἐκείνης περὶ ταύτης
ad pop. ὑμῶν διελέχθην, αἶτ, ἀλλ' ἔδὲ σήμερον
Antioch. ἀποσήσομαι. Et si heri, & nudius tertius de
hac materia vobis sim locutus, nec hodie tamen
desi-

1291

desinam, nec cras, nec perendie. Video enim desiderium vestrum insatiabile, & benevolentiam multam. Ἔσ. συνεχῶς ἡ καὶ ἐκάστην ἡμέραν τὴν πτωχὴν ταύτην, ἡ ἐντελῆ τράπεζαν ὑμῖν παρατιθέναί σπασδάζω. Frequenter ἔ quotidie pauperem hanc ἔ vilem mensam vobis apponere studeo. Nec desinit pergere in docendo, etsi videret paucos esse, qui conuerterentur, plurimos, qui contemnerent. Ἐρεῖς μοι, τί ὠφελεῖς λέγων; ait alibi, ὠφελῶ, εἰάν τις μὲ ἀκῆ. Ἐγὼ τὸ ἐμαυτῷ ποιῶ. ὁ σπείρων, σπείρει. Dices mihi, quid prodes dicendo? Prosum, si quis me audiat. Ego facio, quod meum est. Seminans seminat. Et hic adducens Parabolam Saluatoris optimi: Exiit seminans ad seminandum ἔσ. subiungit: τρία μέρη ἀπώλετο, ἡ ἐν ἐσώθῃ, ἡ ἐκ ἀπέρῃ τῆς γεωργίας. Tribus in locis periit semen, uno in loco servatum est, nec tamen desinit seminans agrum colere. Addit: „Impossibile est, semen „ (verbi) in tanta multitudine sparsum, „ mihi non ferre culmum. Licet non „ omnes audiant, pars dimidia tamen „ audiet. Si non dimidia, certe tertia; „ si non tertia, forsandecima; si non de- „ cima, modo unus audierit, ex tanta mul- „ titudine; audiat sane, non omnino frustra erit labor meus. Non enim „ minimum est, vel unam seruare ouem, „ cum Pastor ille nonaginta nouem re-

Homil.
De terra
motu &
de Epul.
& Lazaro
Tom. 6, p.
671.

„linquens, vnā quoq; penditā quae-
 „fieri ouem. Nec vnum contemno
 „hominem, licet vnus sit, tamen homo
 „est, DEI *περιστάσεων ζῶον*. Licet
 „seruus sit, nec propterea mihi conte-
 „mnendus est, non enim quaero dignita-
 „tem sed virtutem, non statum herilem
 „vel seruilem, sed animam. Licet
 „vnus tantum sit, homo tamen est, pro-
 „pter quem caelum expansum est, Sol lu-
 „cet, Luna currit, aer diffusus est, fon-
 „tes scaturiunt, mare extensum est, Pro-
 „phetae missi sunt, Lex data est. Et
 „quid cuncta dico? Propter quem Vni-
 „genitus DEI Filius homo factus est.
 „Dominus meus mactatus, sanguis eius
 „effusus est propter hominem, num ego
 „contemnam eum! Quam veniam ha-
 „bebo? Quam sedulitatem qui imitari vo-
 „lunt, non dicent sufficere lectionem solam
 Scripturae Sacrae, sed addent explicationē
 & applicationem, & semper pergunt doce-
 re, siue multi, siue pauci adsint Auditores.
 §. III. Vt recte doceret, pie meditat^{us}
 est, & quotidie attendit *Lectioni*, attendit
sibi ipsi & doctrinae, haec meditat^{us} est, in his
 mansit, vt iubet Apostolus. Vnde in
 eruendo & explicando genuino Sacrae
 Scripturae sensu prae caeteris felix, accu-
 ratus & diligens fuit. Quod testantur
 Scripta eius posteritati relicta, partim ab
 ipso

ipso elucubrata, partim ab aliis ipso dis-
 ferente excepta, quae teste *Georgio Ale-*
xandrino, fuere *πλείονα ἢ ποικιλώτερα*
πάντων σχεδὸν τῶν ἱερέων, *plura & multi-*
pliciora, quam omnium ferme Sacerdotum post
Albanasium, Basilium, & Gregorium Nazian-
zenum. Præ caeteris diligens & felix fuit
 in explicandis Epistolis S. Pauli, „ quas
 „ valde dilexit & semper in manibus ha-
 „ buit, admiratus repositam in iis sapien-
 „ tiam diuinam, considerans Pauli ca-
 „ stitatem animi & corporis. Id enim
 „ certo credebat, ipsum per gratiam Spi-
 „ ritus S. talia scripturum non fuisse, nisi
 „ talis fuisset, nempe purgatus ab omni-
 „ bus inquinamentis Mundi; Et sem-
 „ per de ipso memor erat verborum Sal-
 „ uatoris, dicentis: Beati mundi corde,
 „ quoniam ipsi videbunt DEum. Habe-
 „ bat quoque effigiem Pauli, quam per-
 „ legens Epistolas eius, respiciebat, ei-
 „ que, quasi viuus esset, attendebat, bea-
 „ tum praedicans illum, ita tractans ver-
 „ ba eius, quasi cum vivo conuersaretur.
 „ Interpretari itaque voluit illius Epi-
 „ stolas, ad manifestandam cunctis diui-
 „ nam Viri virtutem, non decere putans,
 „ vt Ecclesia careat opulentis huiusmo-
 „ di donis, sed ut ea clarius edantur in il-
 „ lorum usum, qui inde proficere cupi-
 „ unt. Quod & fecit, vesperi otium na-

„ Etus, cum nemo adesset istud interrumpens,
 „ pens, ingressus cubiculum suum, sedens
 „ in sella accendit faculam ceream,
 „ & sumens schedas, scripsit in iis phrasas
 „ Apostoli, & interpretationes earum, referente
 „ *Georgio, supra dicto*. Quod addit hic Auctor de
 „ *Proclo*, Episcopo postea Constantinopolitano,
 „ quasi per foramen ianuae viderit tribus continuis
 „ noctibus praesentem Apostolum Paulum, suggerentem
 „ ipsi suarum Epistolarum interpretationem, suo
 „ relinquitur loco, cū *Photio* teste, videatur
 „ ἔκ ὀλίγα παρρησιῶν, non pauca incerta fide
 „ recensere. Sed nihil impediatur, quo minus
 „ lectores utilia eligant, reliquis neglectis. Testatur
 „ idem *Photius*, quarundam Epistolarum Pauli
 „ Commentarios *Antiochia* scriptos esse, αἱ ἢ μᾶλλον
 „ διηκρίβοντο, accuratiori studio; aliarum
 „ *Constantinopoli*, quasi αὐτοσχεδιαζομένων, extemporaneos,
 „ vel scriptos, vel ab aliis exceptos, quod inuatur
 „ styli diuersitas, annotante *Sauilio*. Beati, qui sic
 „ meditantem *Chrysostrum* imitantur pro viribus
 „ diuinitus concessis, & quod super est tempus
 „ piis potius verbi meditationibus, quam ludis,
 „ nugis, recreationibus aut corradendis opibus
 „ transigunt!

§. IV. Ne impediretur in studio meditationum
 suarum, sobrie & temperanter vixit, raro
 conuiuia celebrans aut frequen-

quen-

quentans. Εὕρισκει δαψίλειαν ἔ τὴν τυ-
 χῆσαν. Κελεύει μετενεχθῆνα τὴν τρίτων πο-
 λυτέλειαν εἰς τὸ νοσοκομεῖον. *In venit abund-*
dantiam (in mēsa Episcopali) non vulgarem.
Iubet eam transferri in Nosocomiū. Et cum ad-
buc abundarent necessaria, plura instituit No-
socomia, iis duos praefecit pios Presbyteros,
tum Medicos, ἔ utiles Ministros, ἀγάμους
coelibes ἔ c. Mensa vtens frugali, etiam,
 alios ditiores ad frugalitatem ad hor-
 tatus est verbis Apostoli 1. *Tim. 6, 17.*
 Noluit autem conuiuia exhibere, aut
 vocatus iisdem interesse, has ob cau-
 sas. Primo, quia vinum non bibebat,
 propter capitis aestum, nisi aqua rosa-
 rum temperatum esset in capitis inflam-
 mationibus. Secundo, quia stoma-
 chum habebat non bene dispositum ex
 infirmitate, adeo vt cibi etiam saluber-
 rimi ipsi saepius fastidium afferrent, &
 alios desideraret. Deinde, quia inter-
 dum obliuiscabatur vesci, vsque ad ve-
 speram occupatus siue Ecclesiasticis ne-
 gotiis, siue spiritualibus meditationi-
 bus. Nam & genuinum scripturae
 sensum quaerebat, & occasionem am-
 putare volebat ministris oeconomiae
 perfide agendi, ne plus, quam iusserat,
 impenderent, aut inter impensas refer-
 rent, vel pauperibus aliquid subtrahe-
 rent. Adhaec respiciens consuetudi-
 nem

„nem multitudinis in urbe; vel Christia-
 „na, vel nulla volebat conuiuia. Si enim
 „admisisset Conuiuia, (nempe eo tempo-
 „re valde frequentia in urbe, quod *Liba-
 „nius* Ethnicus quoque exprobrauit,)
 „multos quidem habuisset conuiuas &
 „amicos, sed paucos Christianos, aliis
 „propter benedictionem Episcopalem,
 „aliis propter paupertatem, aliis propter
 „ventris commoda mensam eius quae-
 „rentibus. Malebat ergo tempus & dili-
 „gentiam impendere diuinis meditatio-
 „nibus, verbi ministerio, Scripturarum
 „enarrationibus, viduarum curae, orpha-
 „norum tutelae, aegrotorum & afflicto-
 „rum consolationi, errantium conuersi-
 „oni, & vincetorum in carcere visitationi,
 „quam conuiujs. Et quomodo os exer-
 „citatum diuinis sermonibus, & auris af-
 „sueta audire utilia potuisset audire mul-
 „tiloquia mensarum? Haec igitur in-
 „commoda, & quod saepius ea absu-
 „mantur conuiujs, quae pauperum ne-
 „cessitatibus debentur, considerans ab-
 „horruit, & valedixit conuiujs, memor
 „Apostolicorum Actorum: Viri Fratres,
 „non licitum est nobis negligere verbum
 „Dei, & seruire mensis. Has causas satis
 „manifestas esse liquet. Caeterum ex
 „consuetudine Ascetica hoc factum esse,
 „addit *Georgius*, (qui praecedentia refert,)
 „qua alienus ab auaritia, temperantiae,
 hu-

humilitati, [quae sunt corona sacerdotum] exercitationibus verbi, admonitionibus & piis colloquiis totus deditus erat. Multis Clericis nimis asper videbatur, ipsum traducentibus, & odio habentibus, & fugientibus eum, propterea quod eorum opera corripere. Si plures hic essent Chrysofomi imitatores, non opus esset deplorare tot scandala profanorum Compotatorum, ventri inferuentium!

§. V. Cum exercitio verbi coniunxit exercitium charitatis & commiserationis erga pauperes miseros & afflictos. Antiochiae omnes suas facultates, a parentibus relictas, Ecclesiae dederat, ad subsidium pauperum; Sed & Constantinopoli partem reddituum Episcopaliū maluerat Nosocomiis, quam conuiuiis impendere, vt modo diximus. Et cum ministri oeconomiae rationem redderent, accurate omnia perquirebat, ne quid pauperibus & aegrotis subtraheretur. Erga pauperes peregrinos non solum commiseratus & ad iuuandum promptus erat, sed & aliis piis & liberalibus Christianis commendabat. In pluribus homiliis ad populum mentionem faciebat curae pauperum, diuites obiurgans, quod adeo immisericordes erga pauperes manerent. In memoriam semper reuocans verba Domini dicentis: Quicquid

quid uni inter hos minimos feceritis, mihi fecistis. Multi igitur hac cordis duritia emollita instar cerae, per ignem liquefactae, opes suas erogabant egenis, impigre eas disseminantes, ita ut multi egeni postea ditescerent ex ista beneficentia, & ex miseria sua liberarentur. Unde a multis vocatus est, Ιωάννης ὁ τῆς ἐλεημοσύνης, Ioannes Eleemosynarius. Et ut ipse fuit humilis corde, nullam captans laudem ex Eleemosynis, ita ditioribus quoque hanc virtutem persuasit, & id obtinuit, ut euitata omni pompa & luxu vitam humilem & frugalem amplecterentur, ut qui antea multis satellitibus stipati prodierant in templum, in forum in balneum, iam vno alteroue famulo comitante contenti essent. Monebat, ut libenter exciperent peregrinos, maxime peregrinantes Ascetas (quod testatur exemplum Dioscori, Ammonii, & Monachorum, dictorum μακρῶν, a Theophilo ex Aegypto pulforum,) eosque humaniter tractarent, sic fore, ut Christum ipsum exciperent, quemadmodum ait: Peregrinus eram, & excepistis me. Addebat & illud Apostoli: Nescientes quidam Angelos excipere hospitio. Fortasse enim, aiebat, est Christus, transfigurans se in hominem, & vos probans. Hæc & huiusmodi alia multa monebat (ut ex Palladio refert Georgius) non solum publice in Ecclesia, sed & priua-

priuatim in ædibus Episcopalibus, ἔχων ἐν τῇ καρδίᾳ τὴν τῆς ἁγίας πνεύματος ἀφθονὴν χάριν, βρύσσαν αὐτῷ τὰ θεῖα λόγια, habens in corde gratiam Spiritus S. inuidiæ expertem, unde scaturiebant diuini sermones. Charitatem & misericordiam exercebat, non solum erga pauperes, aegrotos, viduas, orphanos & peregrinos, sed quoque erga miseros & afflictos, ad Ecclesiam profugos, utpote erga *Eutropium* & alios, quorum causam ita defendebat, ut sæpe iram & offensam Aulae & Procerum incurreret. Nempe cor plenum gratia Spiritus Sancti, est etiam semper plenum misericordia, & veluti fons scaturiens & foras emittens riuulos suos. Sed cor destitutum Spiritu S. est plenum auaritia, immisericordia & inuidia.

§. VI. Super has enumeratas virtutes eminebat *Zelus pro Gloria Nominis diuini*, & *salute animarum* cum *Parrhesia* constanti & intrepida. Ad *Zelum* natura seruebatur, utpote θερμὸς, prout referunt Scriptores vitae eius, seu ingenii vehementioris & temperamenti calidioris. Et si non ita semper se contineret, quin quandoque excederet, ἦν ἀνὴρ, ὡς φασι, διὰ ζῆλον σωφροσύνης πικρότερος, καὶ πλέον, ὡς ἔφη τις τῶν οικειοτάτων αὐτῷ, ἐκ νέας ἡλικίας, θυμῷ μάλλον, ἢ αἰδοῖ ἐχαρίζετο. Ἐλευθερονομία δὲ πρὸς τῆς ἐντυγχάνοντα ἀμέτρως ἐκεί-

Socrates
l. 6. f. 255.
B.

ἐκέχρητο. Erat vir, ut aiunt, propter Zelum temperantiae uehementior, & quod plus est, ut aliquis familiarium eius dixit, a iuuentute magis uehementiae quam uerecundiae indulgens; libertate uero oris erga obuios immoderatus usus erat; Zelus tamen eius per ἀσκησιν & renouationem Spiritus Sancti purgatus & spiritualis, accedente maturo iudicio & longo rerū usu purior semper & defaecatior factus, multum profuit Ecclesiae, ad Conuersionem & emendationem animarum. Vnde uidens profanationem nominis diuini, scandala, & pericula salutis aeternae, ipse exarsit, & alios ad eundem Zelum stimulauit. Videbat mulierem quandam honestam & christianam duci inuitam ad Iudaicam Synagogam a viro quodam, qui & ipse uolebat Christianus uideri, sed non erat. Hic ipse exarsit Zelo, (ἐμπρηθεὶς, ait, ὑπὸ ζήλῳ, καὶ πυρωθεὶς accensus Zelo, & inflammatus &c.) Et auditores ad eundem Zelum exhortatus est, docens, Synagogam Iudaeorum esse speluncam Latronum, ubi habitat Satanas, Christus uero crucifixus blasphematur. Πιστεύσατε, ait, τὴν κεφαλὴν πρότερον ἀποθήσομαι, ἢ περιόψομαι τινὰ τῶν τοιαῦτα νοσούντων, εἰάν τις εἰδὼς εἰάν τις ἀγνοήσω, συγγνώμην ὁ θεὸς δώσει πάντως. *Credite, malo potius capite plecti, quam negligere animam in tali morbo seu periculo salutis,*
ubi

Hom. I.
contra Iu-
daizantes
Tom. 6. p.
369. &c.

ubi videro; Quod si ignoravero, Deus omnino veniam dabit. Zelum ergo habeat pro Gloria Nominis diuini & salute animarum, qui vident proximum peccantem, & non possunt non eum monere & corripere.

§. 7. In hoc Zelo, & Parrhesia, quod maxime admirandum est, perseveravit constans & intrepidus, omnibus mundi amicitiiis & inimicitiiis post habitis. Coluerat amicitiam cum *Seueriano*, Episcopo Gabalensi; Sed cum is succensens *Serapioni*, ipsi non assurgenti, dixisset: *Si Christianus moritur Serapion, Christus non est incarnatus*; Chrysofomus verba haec, tanquam impia & blasphema adeo detestatus est, vt amicitiam abruperit. Quod sentiens Imperatrix *Eudoxia*, Theodosium, filium suum, ab ipso baptizatum & institutum, secum attulit in Templum, dictum S. Apostolorum, qui id honoris exhiberet Chrysofomo, vt more tunc consueto amplecteretur genua eius, ad refarciendam amicitiam inter ipsum & *Seuerianum*, cui fauebat *Eudoxia*. Verum Chrysofomus animaduertens fucum, hypocrisin & insidias (quibus paulo post circumventus est) postea magis abhorruit & abstinuit a consortio eius; Non ex rancore & superbia [vt criminabatur malevoli] vel quod tanquam *μισάνθρωπος* auer-

fare-

cap. 25.

faretur amicitias; [veras a teneris vsque sancte didicerat colere,] sed ex pio Zelo, quo amicitiam Christi praeferebat omnium hominum, etiam summorum in Mundo, amicitias. Ἦν γὰρ σφόδρα ζηλωτῆς περὶ τὴν πίσιν, ἢ μάλιστα εἰς λόγον λεγόμενον κατὰ τῆς θείας, refert Georgius: „Erat enim valde accensus Zelo circa fidem, maxime circa verbum, contra aliquid diuini prolatum. Licet forsan aliter locutus sit Seuerianus, aliter id relatum sit Chrysofomo, tamen circa hoc verbum, vti dictum est, δεικνύς τὸ θερμόν τῆς εἰς χριστὸν πίσεως, ostendens feruorem suum circa fidem in Christum, simul impleuit, quae dicuntur in Sacra Scriptura: Ζηλῶν ἐζήλωσα τῷ κυρίῳ, zelans zelauit Domino. 1. Reg. 19, 10. & iterum: Nonne eos qui oderant Te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Ps. 139, 21. 22. Libere irascebatur quidem sine respectu personarum, sed vitiis, non personis; Abhorrebat a scandalis & malitia; sed infirmitates condonabat. Adeoque Zelus erat secundum cognitionem, prudentia & commiseratione temperatus, non coecus fervor. Nam *iustitiam sine misericordia esse crudelitatem, & misericordiam sine iustitia esse fatuitatem*, dicere solebat.

§. VIII.

§. 8. His virtutibus exornatum comi-
 tabatur, vt fieri solet, bonorum fauor,
 maleuolorum inuidia. Sermo eius sem-
 per erat in gratia, sale conditus, & Deo
 benedicente proderat ad Auditorum
 conuictionem & conuersionem. „Po-
 „pulus homiliis eius applaudebat, eumq;
 „valde diligebat, ipse vero aduersarios
 „contemnebat. Breui tempore fama de
 „eo peruaserat in longe distitas regiones,
 „vrbes & insulas, vnde multi veniebant
 „cupientes ipsum videre, & audire do-
 „ctrinam eius. Saepius literas dabat
 „ad Innocentium Episcopum Romanum,
 „& ab eo recipiebat, sententiam & doctri-
 „nam eius amplectens. Poterat multa
 „paucis complecti, & breuiter dicta mul-
 „tis explicare. Satisfacere poterat inge-
 „niis velocioribus & exercitatis, & attem-
 „perare sese ad ingenia tarda, adeoque
 „doctos & indoctos excitare. Qui the-
 „sauros doctrinae, & vitæ grauitatem per-
 „spiciebant, tanto virum complecteban-
 „tur fauore, vt opinionem de eo bonam
 „perpetuo retinerent, & multis viris in
 „Ecclesia summis eum præferrent, quam-
 „uis nec ante eum, nec post eum defue-
 „rint pares. Hoc habebat peculiare,
 „quod nec in exilio quaereret quod su-
 „um erat, ficut multi, sed semper canere-
 „ret Psalmum: Domini est terra & ple-
 „ni-

6, 26.

M

ni-

„nitudo eius, orbis & qui habitant in eo. Ita quaesivit semper, quod fuit Christi, sequens exemplum Pauli. Vnde mirum non fuit, eum habuisse non solum bonorum fauorem, & populi applausum, sed multos quoque adhaerentes & imitatores ac discipulos inter *Clericos & Laicos*, qui dissensione orta post eius obitum, partes eius secuti, aliquandiu a Communionem successorum abstinuerunt. Inter *Clericos* praecipuus fuit *Palladius* Episcopus Helenopolitanus, qui persecutione, propter Chrysostrum excitata, Episcopatu cesit, & vitam eius in Dialogo, satis noto, descripsit. Fuit *Isidorus, Pelusiotus, Proclus*, & plures alii, partim Episcopi subDioecesi eius, partim Presbyteri, partim alii ex ordine Clericorum, non solum in Oriente, sed & in Occidente. Inter *Laicos* fuit *Nilus*, Praefectus vrbis, & vir diues ac potens in aula, qui a Chrysostrum verum Christianismum edoctus, postea sub initium seculi quinti, relictis propter Christum omnibus, secesit in Aegyptum & Asceta factus religiosissimus, vtilissima de vita Ascetica scripta reliquit, nempe *Capita Paraenetica*, quae etiamnum extant. Fuit quoque *Olympias*, vidua *Nebriidii*, propter nobilitatem generis, venustatem formae, elegantiam morum, & opum abundantiam, a Magna-

tibus

tibus in aula adamata, & a quibusdam in matrimonium expetita, sed quae maluit vidua, florente aetate, manere, & diuitiis suis Christo potius, quam Mundo inferuire. Facta Diaconissa Ecclesiae, & procurans ea, quae spectant ad oeconomiam & mensam Episcopi, sicut Nectario benefecerat, ita Chrysofomum quoque fouit; eumque in exilio quoque secuta, (sicut in persecutione propter ipsum multa quoque acerba & dura passa est,) opibus suis refocillare, atque literis inuisere non desit. Exstant literae Chrysofomi in exilio ad eam exaratae.

§. 9. Ut bonorum fauorem, ita malorum odium & inuidiam expertus est Chrysofomus, praesertim falsorum fratrum, calumniis eum obruentium, & brachio seculari prementium. Inter quos praecipui aduersarii fuere *Seuerianus* supra dictus, ex amico factus inimicus infensissimus, *Antiochus*, qui propter facundiam dictus est Chrysofomus, illo tempore, cum nondum hoc nomen datum esset nostro, teste *Sozomeno*; *Acacius*, qui a Ioanne non satis honoratus, impatienter excanduit & dixit: ἐγὼ ἀπὸ αὐτῶ χύτραν, *apparo ipsi ollam, seu ferculum.* *Theophilus*, qui contrario zelo agebatur, nempe coeco & carnali, quaeren-

l. 8. c. 10.

M 2

te

Georg. c.
35. & 36.

te non quod Christi, sed quod suum erat, *Φιλοπρωτέων*, primas tunc tenere cupiens inter Episcopos Orientis. His accedebant ex ordine Clericorum duo Presbyteri, & quinque Diaconi, propter vitam scandalosam correpti, & tres viduae, Marfa, Castricia & Eugraphia; Praeterea tres Aulici, qui oderant Parrhesiam eius. Hi conspirantes in odio aduersus eum, & cum Satana inuidentes donis ac virtutibus eius, tum Conuersioni & emendationi multorum, atq; profectibus piorum, occasionem quaerebant perdendi eum. Corripuerat iniustitiam & auaritiam Eudoxiae Augustae. Illa aegre hoc ferens, nunciari iusserat per Aulicum quendam, *ne se immisceret regis negotiis, sibi non competentibus, sicut illa abstineret a negotiis Ecclesiasticis; Desineret eam publice in Ecclesiis ὕβριζεν, iniuria afficere, & tanquam Parabolam omnibus sistere; Ea se amplius nolle ferre, &c.* Responderat Chrysostronus, contristatus in Spiritu, & ingemiscens: *Si hominibus placeret, non fore se Christi seruum. Esse mandatum Christi: Argue, corripe, adhortare. Se hoc mandatum obseruantem non ὕβριζεν, iniuria afficere, sed vitia, auaritiam & reliqua corripere. Quorum si conscientia non esset, posset laetari. Si rea foret, tempus esse ut resipisceret. Nam non a me, aiebat, arguente, sed a malis suis operibus*
igno-

*ignomina afficitur. Qui peccatum facit, ser-
uus est peccati. &c.* Hoc responsum ad-
mirantes Aulici cum referrent Eudoxiæ,
illa sentiens virtutem verbi magis exa-
cerbata est. Hanc obseruantes occasio-
nem aduersarii non desiere, animum Im-
peratricis vltcrius aduersus Episcopum
suum extimulare, & cum doctrinam eius
publice damnare non possent, varie ta-
men sugillare, & ex iis, odiose nonnulla,
quasi in contumeliam Eudoxiæ dicta,
exagitare conabantur, donec consilium
caperent de remotione eius. Primum
mittebant Antiochiam exploraturos de-
licta iuuentutis eius. *Scrutati sunt iniquita-
tem, cum deficerent scrutantes scrutationes,* (Ps.
64,7.) & nihil inuenirent, mittebant Alex-
andriam ad Theophilum, callidum men-
dacii Architectum, qui animum hosti-
lem nouerat occultare sub specioso prae-
textu, & in silentio commodam occasio-
nem expectare.

§. 10. Erat eo tempore eheu! Episco-
pis & Sacerdotibus in Ecclesia non sine
scandalo infirmorum, & infamia Christi-
anismi, iam tum nota & vsitata illa more
seculi trita frequensque via, per amici
fallere nomen. *Dolos necebant, seditiones
concitabant erga se inuicem Episcopi, alii
alios ex inuidia persequentes, & throno
deicientes inque exilium pellentes. At-*

M₃

que

que id per *Synodos* conuocatas sub sanctissimo Nomine Christi, quibus abutebantur, non solum ad opprimendam veritatem, vt Ariani in Synodis suis, post Nicaenam habitis, sed & ad se inuicem deiiciendos, quod Athanasio aliquoties contigerat. Ἀρχὴν δὲ τὸ κακὸν ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἐλάμβανεν, refert ex Socrate Georgius. *Initium huius mali ex Aegypto ortum est.* Quod non solum demonstrat *Historia Athanasii*, sed & exemplum *Theophili*, Hypocritae & Sophistae pessimi, qui cum suis complicibus dicebatur quod non erat, (vt Palladius ait,) & quod erat, dici non sustinebat. Id est, volebat videri optimus in Ecclesia, cum tamen esset pessimus. Is paulo antea afflixerat duos Presbyteros Ecclesiae Alexandrinae, *Petrum*, & *Isidorum*, & hunc quidem horrendi criminis Sodomiae suspectum reddere voluerat, per falsum testimonium, pecunia emptum, subornato A. dolescente. Quod cum rescisceret Isidorus, relicta Alexandria ad Monachos in monte Nitria degentes confugit, atque ibi reliquum vitae inter preces & pias meditationes transigere voluit. Deinde orta quaestione, *An Deus sit σῶμα, corpus & humanam habeat figuram*, quae multas tunc peperit contentiones, cum Theophilus hanc cum plurimis antea negasset, statuens, *Deum esse*

esse

esse incorporeum ; Postea venientibus Alexandriam Monachis *Antropomorphitis*, & Theophili aliorumque sententiam cum vehementia damnantibus, ipsique mortem minantibus, rursus affirmavit, & Monachis blandiens dixit: ἕτως ἡμᾶς εἶδον, ὡς Θεῶ πρόσωπον. *Ita vos vidi, ut faciem Dei.* Cumque instarent Monachi, si haec vere diceret, pergeret *Anathema* dicere *Origenis* libris, *Deum incorporeum* docentis. Et hoc fecit, adeoque hos Monachos in suas partes traxit, quibus deinde abutebatur ad opprimendos alios sibi inuisos.

§. II. Erant inter Ascetas in Aegypto quidam eo tempore prae caeteris exercitati & venerabiles, *Dioscorus, Ammonius, Eusebius & Euthymius*, dicti fratres *μακροί*, propter longitudinem staturae. Hos sibi deuinctos reddere cupiens Theophilus, *Dioscorum* vocauerat Episcopum *Hermopolitanum*, ex reliquis duos voluerat sibi adesse, & dignitate Clericali ornatis commiserat negotia sua oeconomica, quae ipsi quoque fideliter curabant, quanquam maluissent inter exercitia Ascetica aetatem transigere. Sed cum sentirent Theophilum auaritiae nimis deditum esse, noluerant amplius ei adesse, sed redierant ad fratres Ascetas. Hic veritus Theophilus, famam suam

periclitaturam esse, (consentiebant enim Fratres μακροί, & multos habebant sibi adhaerentes,) magnum aduersus eos odium concepit. Et cum videret, illos valde diligi a fratribus, confugiens ad artes Sophisticas, suspectos eos reddidit Origenianismi, & Monachos Antropomorphistas aduersus eos concitauit, vbi magna dissensio inter Monachos orta est, sese inuicem damnantes. Theophilus aqua turbata piscari pergens, scripsit vicinis Episcopis, & iussit praecipuos quosdam e Monachis in monte Nitria, & interiori Eremo cellis suis eiici, causa non indicata. Confugientibus Alexandriam Monachis, & his quoque fratribus μακροίς, & causam rogantibus, prae caeteris Ammonium, virum aetate parem, saeuis verbis & verberibus excepit; cucillum eius a collo diripiens, & manu alapam infligens, vt sanguis e naribus erumperet, additis his verbis: *Haeretice, anathematiza Origenem.* Cum cruentati abiissent, & locum irae diuinae dantes rediissent in cellas, Theophilus conuocata Synodo, absentes & non auditos, damnauit, vt haereticos. Nec hoc satis erat, subornatis falsis testibus eos detulit apud Augustalem, (sic dicebatur *Caesareus Praefectus Alexandriae*, Rector totius Aegypti) tanquam publicos turbones, & assumptis mili-

liti-

litibus profectus est in montem & eremum; Monachos sibi inuisos vi eiecit e cellis suis, timentes militarem crudelitatem, atque nullibi tutum refugium inuenientes, tota Aegypto expulit; & ne quid deesset inhumanitati, ad Episcopos Palaestinae scribens vetuit, profugos suscipere. Hi sunt isti fratres μακροί, qui Constantinopolin venientes, iniuriam sibi factam Imperatori Arcadio conquesti sunt, & opem eius implorarunt. Qui indignitate rei commotus, eam Episcopis in Synodo diiudicandam commisit, & de Theophili causa sententiam ferri iussit. Et talis fuit Theophilus in Synodo contra fratres μακροί, qualis postea quoque fuit in Synodo ad quercum contra Ioannem Chrysofomum. Nempe Sophista & homicida, odio prorsus Cainitico fratres suos persequens. Vnde non immerito Innocentius, Episcopus Romanus, eiusmodi Synodos voluit reuocari & corrigi, in quibus multa *Φοινικῶς & ἀνενοήτως*, ex odio Cainitico & contra Canones sint acta.

§. 12. A tali igitur aduersario, in tali Synodo cum sit damnata causa Chrysofomi, vel inde satis patet eius innocentia. Sed haec vt clarius patefcat, videamus quoque *capita accusationum*, propter quae absens & non auditus ab officio remotus est,

M 5

est,

est, a *Photio* annotata. Beati Ioannis apertus hostis & primus accusator fuit *Ioannes* Diaconus eius. Et accusavit eum

(1) Quod iniuriam fecerit sibi, ἀφορίσας, separans se (sc. Diaconum) propterea, quod puerum suum *Eulalium* verberibus tractauerit. (2) Quod *Ioannes*, Monachus quidam, permissu *Chrysofomi*, sit verberatus, humi tractus, & cum *Daemoniacis* ferrum gestare coactus. (3) Quod κειμηλίων πλῆθος, multa Ecclesiae cimelia, magni vendiderit. (4) Quod marmor, Ecclesiae ad *D. Anastasiam*, a *Nectario* relictum, vendiderit. (5) Quod Clericos honore indignos & corruptos, atque vix triobolares iniuriose existimet. (6) Quod *S. Epiphanium* vocauerit λῆρον ἢ δαιμονιάριον, fabulosum & *Daemoniarium*. (7) Quod contra *Seuerianum* seditionem fecerit, commouens contra eum suos Decanos. (8) Quod etiam contra Clerum librum *Sycophanticum* fecerit. (9) Quod *Synedrium Cleri* congregans, tres Diaconos, *Acacium*, *Edaphium*, *Ioannem*, accusauerit, quasi furati sint eius ὤμοφόριον, cucullum, vel pallium humerale, dicens, μή ἢ εἰς ἄλλο τι αὐτὸ ἔλαβον; Num etiam in alium usum istud sumpserint? (10) Quod *Antonium*, ἐλεχθέντα τυμβωρίχον, conuictum, quod sepulchra dehonestarit, Episcopum ordinarit.

narit. (11) Quod Ioannem, Comitem, in seditione militum, prodiderit. (12) Quod neque cum prodiret in Ecclesiam, neque cum ingrederetur, oraret. (13) Quod absque *ἑσθιασηρίῳ* altari ordinationes Diaconorum & Presbyterorum perageret. (14) Quod quatuor Episcopos vna *χειροτονία*, vno actu ordinarit. (15) Quod suscipiat mulieres, solus cum solis, omnibus exire iussis. (16) Quod per Theodulum vendiderit ea, quae Theclas Ecclesiae legauerit. (17) Quod redditus Ecclesiae nemine conscio erogarit. (18) Quod Serapionem, *ὑπὸ ἐγκλημα ὄντα*, adhuc accusatum, Presbyterum ordinarit. (19) Quod viros vbique in Communionem receptos exclusit, & in carcere mortuos neglexerit, non curans sepulturam eorum. (20) Quod sanctissimum, Acacium contumelia affecerit, *καὶ ἔτε λόγων μετέδωκεν αὐτῷ* neque spacium se purgandi dederit. (21.) Quod Porphyrium Presbyterum Eutropio tradiderit, in exilium eiiciendum. (22) Quod etiam Venerium tradiderit, magna cum iniuria. (23) Quod ipsi soli balneum praepararetur, & quod ipso ingresso Serapion claudat ianuam, vt nemo praeterea possit lauari. (24) Quod multos *ἀμαρτύρως*, sine testimonio ordinauerit. (25) Quod solus comedat, *ἀσώτως ζῶν κυκλώπων βίον*,
in-

temperanter , more Cyclopum. (26) Quod ipse simul accusator, testis & iudex sit. Vti manifestum sit ex actis Martyrii primi Diaconi, & Proaeresii, Episcopi Lycaiae. (27) Quod ὑπόθρον alapam dederit Memnoni, in Templo S. Apostolorum, & sanguine adhuc ex ore manante, ipsum ad Communionem Mysteriorum admiserit. (28) Quod in throno exui & indui se patiatur (sc. vestibus Episcopalibus) & quod pastillum comedat, (trochiscum aromaticum, ad continendum sputum accepta Eucharistia.) (29) Quod ordinatis Episcopis munera largiatur, vt eos aduersus Clerum concitet.

§. 13. Atque haec erant capitalia illa delicta, propter quae Chrysostronus in Synodo depositus est. Quae quam sint futilia & friuola, partim aperte falsa, partim afficta, partim detorta, cuius satis patebit, penitius rem consideranti. Praeterea alii contra ipsum sparsi erant rumores falsi, v. gr. *Quod pransus communicarit, quod mulieres a latere eius dormierint, quod comederit & baptizauerit*, vt ipse fatetur in vltima ante primum exilium homilia. Sed an haec in Synodo sint examinata, incertum est. Certum est, Theophilum in Synodo ad quercum (Praedium erat Rufini, viri cuiusdam diuitis, trans fretum, in suburbic Chalcedonis) cum suis
con-

congregatum, primum literas misisse per certos Episcopos, ad Ioannem, qui & ipse Constantinopoli cum suis Episcopis, numero 40. in aedibus Episcopalibus Synodum coegerat. Scriptae erant in hunc modum: *Synodus sancta ad quercum congregata Ioanni.* (omiserant titulum Episcopi, quippe quo ipsum priuare cupiebant.) *Libellos accepimus contra te, multa mala continentes; Adesto igitur, tecum ducens Serapionem & Tigrium Presbyteros, & Paulum Lectorem. Eorum enim opus est.* Respondebat Synodus Chrysofomi, praecipuis Theophilo, tanquam Autori missis tribus Episcopis & duobus Presbyteris: *Noli dissoluere opera Ecclesiae, & scindere Ecclesiam, propter quam Deus carnem assumpsit. Si vero inordinate te geris, dissolvens Canones Nicaenos trecentorum & octodecim sanctorum Patrum & Episcoporum, iudicium tibi arrogans extra tuam Dioecesin, transi ad nos, in urbem legitimam, non vocans sicut Cain Abelem in agrum, ut te prius audiamus. Habemus enim aduersus te libellos septuaginta capitum, (erant accusationes Monachorum expulso- rum) manifesta delicta continentes. Et per Dei Gratiam plures sumus, quam qui tecum sunt, non ad dispersionem, sed ad pacem Ecclesiae congregati. Tui enim sunt 36. ex Eparchia una, nostri vero 40. ex diuersis Eparchiis, inter quos septem sunt Metropolitan-*
ni.

ni. Et consequens est pauciores a pluribus ex diuersis locis congregatis secundum Canones iudicari debere. Habemus etiam tuam Epistolam, qua significasti Conseruo nostro Ioanni, non debere Episcopum in extranea Dioecesi sibi iudicium arrogare. Vnde secutus Canones Ecclesiasticos monuit tuos accusatores, ut vel ab accusatione tui, vel ab accessu ad se abstinerent.

§. 14. Quibus verbis satis quidem clare & aperte arrogantiam & iniquitatem Aduersariis sui Episcopi exprobabant. Chrysostronus tamen malebat quoque seorsim respondere, ne videretur fugere, examen causae suae, hunc in modum: Ego an quis habeat aliquid aduersum me, haecenus plane sum nescius. Si vero adest, qui habet, quod contra me vult afferre, & vos vultis, ut & ego adsim, prius manifestas meos hostes, qui me dedita opera laeserunt, eiicite e congregatione vestra. Et non dubitabo me submittere iudicio, ubicunque fuerit, quamuis maxime debebat in hac urbe fieri. Sunt vero, quos declino, Theophilus, quem arguo, quod dixerit Alexandriae, & in Lycia: Proficiscor in aulam, ad deponendum Ioannem. Et hoc verum est, quod ex quo hic ad fuit, me nec conuenit, nec mecum communicarit. Qui igitur antequam causa mea audita est se inimicum esse demonstravit, quid faciet causa audita? Similiter Acasius, quem arguo, quod dixerit:

xerit:

xerit: Ego apparo ipsi ollam. De Seueriano autem & Antiocho, quibus breui super incumbet diuina vindicta, quid dicam? quorum delicta iuuentutis & mundanos mores decantant Theatra. Admoniti igitur sitis, si sincere cupitis me venire, hos quatuor ut separetis, nempe ut iudices, a Synedrio vestro. Si vero vultis eos adesse tanquam accusatores stent coram Iudicio, ut sciam, quomodo cum ipsis mihi sit agendum, an sicut cum accusatoribus, an vero sicut cum iudicibus. Tum veniam omnino non solum ad vos, sed & ad concilium oecumenicum. Sciatis ergo, licet vel millies ad me miseritis, nihil amplius vos ex me audituros esse. Sic merito recusauit iudicium hostium suorum, & coram Synodo illegitima noluit comparere, etsi quater citatus, vt refert Photius, insuper ab Arcadio per Notarium iussus.

§. 15. Sed aduersarii surdis auribus haec audientes, & quod plus est, etiam missos a Chrysofomo & Episcopis eius nuncios ludibrio afficientes, & catena [qua ligatum Chrysofomum deportatum iri in Insulam quandam putabant] aliquem eorum verberantes; Pergebant, veluti contra IESUM congregati Sacerdotes & Pharisei, scenam inceptam peragere, & Decretum de remotione eius, licet absentis & non auditi, vnanimiter facere, & subscriptum mittere Imperatori, hisce
ver-

verbis : *Cum Ioannes accusatus quorundam
 malorum, & male sibi conscius comparere no-
 luerit, talem deponunt Canones, quod & de eo
 decretum est. Continent vero libelli accusa-
 torii etiam καθοσιώσεως ἔγκλημα, crimen
 laesae Maiestatis. Iubebit igitur vestra pie-
 tas vel inuitum extrudi, & poenas dare huius
 Criminis. Nobis enim de eo sententiam ferre
 non licet. Per καθοσίωσιν vero intellige-
 bant illud, quod Eudoxiam cum Isabele
 comparasset. Ecce pharisaicam maliti-
 am! Non solum ab officio remotum, sed
 in extrema vitae pericula coniectum cu-
 piebant Chrysoctomum! Idque sub prae-
 textu Canonum, in Nomine sacro sancto
 CHRISTI! Sic perinde vt inimici *Iere-
 miae* contra Chrysoctomum consularunt,
 arborem cum fructibus excindere cupi-
 entes. Atque hac ratione malum exem-
 plum dedere, quod posterum eorum eheu!
 in Ecclesia saepe imitati sunt sequentibus
 seculis; quod huiusmodi Sophistae &
 fratricidae etiamnum imitantur nostris
 quoque temporibus; vbi eadem fabula
 agitur mutatis saltem personis. Chryso-
 ctomus vero, Imperatore hoc Decretum
 sine mora exequente, per vim & fraudem
 eiectus in exilium, impleuit illud Apo-
 stoli : *Omnes qui pie vivere volunt in Christo
 IESU, persecutionem patientur. Et exem-
 plo suo docuit, Veritatem premi, non op-
 pri-**

primi, sed pressam semper clarius elucescere.



CAP. V.

DE

PATIENTIA CONSTANTIA ET BEATO
EIVS OBITU.

§. I.

Patientiam & constantiam in aduersis in tota sua vita ostenderat; maxime vero ostendebat eam in ista persecutione, a Theophilo & Adversariis excitata, & in exilio. Nec leuis erat aduersitas, quam tolerabat. Non enim solum videbat Ecclesiam lacerari, salutarem doctrinam contemni, Ministerii dignitatem conculcari, Conuersionem & aedificationem impediri, veros Christianos scandalizari & premi, pseudo-Christianos dominari, quod maxime dolebat; Nec solum videbat suam famam, sed & vitam peti, (Imperator enim minatus erat mortem, vt rumor ferebat, & quidem capitis supplicium, nisi Synodo se submitteret;) Videbat se in exilium pulso, gregem dispersum, & multas oves a lupo infernali devoratum iri. In his malis ad arma gregis Domini, verbum Dei, pre-

N

ces

ces & patientiam, tanquam ad sacram Anchoram confugiebat, reuoluens ad Dominum vias suas, in ipsum sperans, & auxilium eius expectans. Potuisset quidem resistere Adversariis suis, causae iustitia fretus, nec impar numero & favore suorum Amicorum in Clero & plebe; Sed cum videret eos niti brachio seculari, ne seditioni & effusioni sanguinis si non ansam, saltem locum daret, malebat cedere & pati, quam resistere, memor verborum Apostoli: *In omni re commendemus nos ipsos, tanquam Dei Ministros, in patientia multa.* 2. Cor. 6, 1.

2. Memoratu digna cum primis sunt verba eius, quibus alloquebatur suos in aedibus Episcopalibus, cum audiret, se citari ab Aduersariis. *Orate, fratres, aiebat, & si diligitis Christum, nemo mei causa suam relinquat Ecclesiam. Ego enim iam immolor, & tempus meae dissolutionis instat, secundum beatum Paulum, & video me multis afflictionibus obrutum moriturum esse. Noui enim Satanae insidias, qui homilias meas, quibus ipsi resisto, ferre amplius non potest. Et sic misericordiam consequoemini. Memeres estote mei in precibus.* His dictis tristes facti, cum alii lacrymis, alii silentio, alii intimae benevolentiae signis, alii extra conclaue secedentes *συμπάθειαν* suam testarentur; Rursum convocatis omnibus

bus

bus: Confideatis, aiebat, neque fleatis,
 conterentes cor meum. Mihi enim,
 viuere eſt Chriſtus, & mori lucrum. Et
 iterum: Memineritis, quod ſaepius di-
 xerim vobis, vitam praesentem eſſe vi-
 am, cuius bona & mala tranſeunt. Eſſe
 πανήγυριν, veluti congregationem ſeu
 forum. Ubi emimus, vendimus, abi-
 mus. Num ſumus meliores Patriar-
 chis, Prophetis & Apoſtolis, cupientes ae-
 ternum hic viuere? Suspirabat quidam,
 dicens: Sed deploramus noſtram ὀρφανίαν
 orbitatem, Eccleſiae viduitatem,
 Cultus diuini confuſionem, Φιλαρχίαν
 ambitionem & dominatum, non timen-
 tium Chriſtum, ſed ſecularibus poteſta-
 tibus tradentium, pauperum negle-
 ctum, Doctrinae deſolationem. Tum
 indice digito dexteræ aliquoties palmam
 ſiniſtræ tangens (quod ſolebat facere ali-
 quid notabile indicaturus) Sufficit, Frater,
 inquiebat, ne plura addas. Sed quod,
 dixi, ne derelinquatis Eccleſias veſtras.
 Non enim a me incepit Doctrina Evan-
 gelii, nec in me deſinet. Mortuo Moſi
 nonne ſucceſſit Iofua? Samuel cum fi-
 niſſet vitam, nonne vnctus erat Dauid?
 Ieremia deſuncto, nonne aderat Baruch?
 Elia in coelum ſuſcepto, nonne prophe-
 tauit Elifa? Paulus capite truncatus,
 nonne reliquit Timotheum, Titum,

„Apollinem, & mille alios? Sed oportebit nos, regerebat *Elysius*, Episcopus Apamiae in Bithynia, remanentes in officio nostro, communicare cum iis, & subscribere. Cui Chrysoftomus tandem: *Communicare quidem poteritis, respondebat, ne scindatis Ecclesiam, subscribere vero minime. Nullius enim delicti mihi sum conscius, quod mereatur remotionem.* Quae verba satis innuunt, quam fuerit patiens, & bene sibi conscius, & quod maluerit propter Christum in exilium ire, quam Adversariis se opponere. Quare tertio post remotionem die circa meridiem sponte se tradidit Ministris Caesareis, clam abducendum, inscio populo, (qui clamabat, causam eius deberi coram alia legitima Synodo examinari, ipsumque dimittere nolebat,) in exilium primum, unde Deo mirabiliter dirigente, & totam Adversariorum scenam invertente, paucis interiectis diebus reuocatus est.

§. 3. *Constantiam* eius in docenda & defendenda veritate Evangelica demonstrat *Parrhesia* eius, qua post restitutionem suam, & recuperatum fauorem aulae, intrepide corripuit profanationem nominis diuini, & impedimentum aedificationis Auditorum, per ludos Ethnicos, ad statuam argenteam Eudoxiae Augustae, recens erectam, exhibitos, cum frequentia spe-

spectatorum. Extat Homilia eius, cuius initium hoc est: Πάλιν Ἡροδίας μαίνεται, πάλιν ταράσσεται, πάλιν ὀρχεῖται, πάλιν τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου ἐπὶ πίνακος ζητεῖ λαβεῖν &c. *Iterum Herodias furit, iterum turbatur, iterum saltat, iterum caput Ioannis in disco accipere quaerit. &c.* Quam habuit eo tempore, cum historia de Iohanne Baptista publice in Ecclesia ordine sic iubente praelegeretur, & in ea deinceps malarum & bonarum mulierum mores in genere descripsit. *Photius* dubitat de hac Homilia; *Socrates* vero recenset, eum ἀμέτρως immodice liberum fuisse in loquendo; Sed & *Socrates* fauens *Nouatianis*, quibus aduersabatur *Chrysofostomus*, (ab *Isaacio*, Abbate, propterea accusatus, quod dixerit: *Si rursus peccas, rursus resipisce, & quoties peccaueris, ueni ad me, & sanabo te*, referente *Photio*,) hanc ob causam minus recte de *Chrysofostomo* sensisse existimatur. Quicquid sit, licet *Chrysofostomus* in genere saltem reprehenderit malas mulieres; Aduersarii tamen eius non negligentes hanc occasionem, rursus iram *Eudoxiae* concitarunt aduersus eum, ut ad remotionem eius de nouo Synodus sit conuocata, urgentibus praepriis *Antiocho*, & *Seueriano*, hostibus eius infensissimis. Nec desit *Theophilus* machinari perniciem eius, quippe qui
 Ν 3 resti.

restituto Chrysoftomo clam auffugere co-
 actus erat, populo Constantinopolitano
 eum quaerente, vt in mare praecipitare-
 tur. Scripserat Theophilus ad Innocen-
 tium, significans, quod Chrysoftomus per
 Synodum sit depositus. Qui primo hae-
 rens, deinde re comperta videns, Chryso-
 ftomo factam esse iniuriam, responderat,
 causam eius in alia legitima Synodo, se-
 questratis amicis & inimicis eius esse di-
 iudicandam. Cum itaque perciperet
 Theophilus ex literis Antiochi & Seueria-
 ni, Chrysoftomum rursus Aulae inuisum,
 & propter ipsum rursus Synodum con-
 gregatam esse; nolebat & ipse negligere
 occasionem, opprimendi Chrysoftomum
 cum sua causa in toto oriente, & illegiti-
 mum suum processum iustificandi.

§. 4. Misit itaque ad Synodum, (ad
 quam conuocante Imperatore Constan-
 tinopoli conuenerant circa finem A. C.
 403. *Leontius* Ancyrae in parua Galatia,
Ammonius, Laodiceae in Pisidia, Episcopi
 cum aliis ex Syria, Cappadocia, Ponto &
 Phrygia, Iudices futuri in causa Chryso-
 ftomi legitimi & inculpati;) *Tres* Episco-
 pos, cum *duobus* Canonibus Concilii An-
 tiocheni A. C. 341. habiti, in causa Atha-
 nasiana, cui interfuerant quoque Ariani.
 Quorum haec erat summa: *Si Episcopus*
aut Presbyter remotus [addebant, siue iuste
 „siue iniuste] a seipso, sine Synodi alicu-
 ius

ius

ius mandato, reuerſus ad Eccleſiam Sa-
 cra in ea adminiſtrare praefumſerit, ei
 omnem ſpem reſtitutionis ademptam,
 deſenſionem non conſeſſam, & omnes
 cum ipſo communicantes excommu-
 nicatos fore. Item: Si quis in tali cauſa
 appellaret ad Caefarē, coram maiori Syn-
 odo rem ſuam diiudicandam eſſe con-
 tendens, ei omnem licentiam ſe defen-
 dendi & omnem ſpem reſtitutionis ſtri-
 cte abjudicandam fore. Iuxta hos Cano-
 nes aiebat Chryſoſtomum illegitime re-
 ſtitutū, legitime ruruſum deponendum eſ-
 ſe. Reſpondebat Chryſoſtomus, hos Cano-
 nes ſibi non aduerſari, eo quod *non a ſei-
 pſo*, ſed ab Imperatore & populo reuoca-
 tus rediſſet, & paulo poſt a Synodo plus-
 quam 60. Epiſcoporum in officio confir-
 matus eſſet. Praeterea Canones hos
 contra Athanaſium ab Arianis profectos
 eſſe. Obiiciebant Aduerſarii, Arianos
 quidem interfuiſſe iſti Concilio, ſed inde
 non ſequi, quod omnia ibi acta, ab illis
 ſint profecta. Cum hac ſuper re non
 ſine ingenti clamore a parte aduerſa,
 praefente Caefare diſceptaretur, *Elpidius*
 placidis verbis ad eum dicebat: *Ne tibi*
diutius ſimus moleſti, Clementiſſime Imperator,
ſac Antiochum, Acacium & reliquos, conten-
dentes hos Canones ab Orthodoxis profectos
eſſe, eis ſubſcribere, & teſtari, quod cum Au-

toribus horum Canonum eandem fidem teneant; Et lis erit sopita. Arcadio haec approbante, & subridente ad Antiochum, *id necessarium & aequum esse*, fatente, conticuerunt illi, & promiserunt quidem se subscripturos esse, sed nunquam id praestiterunt, aliud commodius tempus vrgendi remotionem Chrysofomi praestolantes. Interim patiebatur iustus.

§. 5. Observatu dignum est, non solum quid ante alterum exilium, sed & quo tempore passus sit. Elapsis decem post reditum eius mensibus, adventante tempore Quadragesimali Arcadius ab Antiocho persuasus, Chrysofomum rursus legitime a Synodo esse remotum, & ante Festum Paschatos ex vrbe pellen- dum, eo quod responsum suum iusto tempore Synodo non obtulerit, rixarum pertaesus mandauerat Chrysofomo, vt *Ecclesiam relinqueret.* Responderat Chrysofomus: Ecclesiam sibi a Deo Salvatore suo esse commissam, se non posse salua Conscientia eam relinquere. Possit se Imperatorem vi externa vti, ad sui remotionem, tum se coram Deo excusatum fore. Hoc responso relato mittebantur, qui ipsum amice persuaderent, vt abstineret ab Ecclesia, manens domi in aedibus suis. Idque eo consilio, vt videntes, an populus eius causam sit defen-
su.

ſurus, nec ne, poſtea vim aduerſus eum
 adhibere poſſent. Interim appropin-
 quaverat vltima Septimana ante Feſtum
 Paſchatis, vbi Imperator denuo iuſſerat
 Chryſoſtomum exeſſe, & is denuo re-
 ſponderat, vt antea. Caesar conſuluerat
 Antiochum, qui dixerat: *Ne timeas, Clé-
 mentiffime Domine, culpam remotionis eius in
 nos recepimus, etiam cum periculo capitis id
 deſenſuri.* Quo comperto Epifcopi, qui
 adhuc ſtabant a partibus Chryſoſtomi,
 ad Arcadium & Eudoxiam accedebant in
 loco Martyrum memoriae dicato, inter-
 cedentes pro eo, & petentes, vt parceret
 Eccleſiae, & in ea Catechumenorum hoc
 tempore baptizari ſolitorum, ne expelle-
 ret Epifcopum ante ferias. Sed nec hos
 40. Epifcopos audiebat Imperator, licet
 aliquis eorum, Paulus Epifcopus in Cro-
 atia diceret: *Eudoxia, time Deum, miſerere
 liberorum tuorum, noli has ferias profanare
 ſanguine;* Adeo concitatus ab Aduerſariis
 aduerſus Chryſoſtomum erat animus
 Auguſtorum, vt Epifcopi hi cum lacry-
 mis diſcederent, & Chryſoſtomus cum pa-
 tiente IESV pateretur.

§. 6. Verum non ipſe ſolus, ſed & in-
 nocentes Catechumeni baptizandi pro-
 pter ipſum patiebantur. Hi congregati
 in aede baptiſmali, dicta *Conſtantii*, per-
 noctabant, cum amicis Chryſoſtomi &
 po-

populo, in precibus & lectione S. Scripturae. Id aegre ferentes Aduersarii, qui neminem vltius volebant adhaerere Chrysoftomo, Magistrum officiorum in Aula persuaferant, vt immissis militibus hunc coetum dissiparet. Qui licet inuitus, & excusans se, quod tempus sit nocturnum, tandem cedens Aduersariis, negotium hoc dederat Lucio, Centurioni Ethnico. Simul atque hoc mandatum acceperat Lucius, videns, multitudinem congregatam sponte non cessuram esse, quod prima vice tentauerat, altera vice praeuiis quibusdam Clericis ab Aduersariis missis (sicut Iudas Duxerat capientium IESVM) cum tota cohorte sua armatus irruit in Templum, & totum coetum in terrorem coniecit. Sacerdotes, Amici Chrysoftomi, comprehensi, verberati & vulnerati in carcerem rapiabantur; Catechumeni dispergebantur; Mulieres ad baptismum iam accipiendum vestibus depositis, auffugiebant denudatae; multi erant vulnerati, & aqua baptismi sanguine tingebatur. Inde pergentes ad Altare, Sacra Symbola impie profanabant, vinum benedictum super vestes militum diffundentes. Tam atrociter saeuiebant Aduersarii in populum innocentem, semper vrgentes Edictum Imperatoris, vt nemo amplius cum Chrysoftomo
com-

communicaret. Atque sic vim patiebatur Chrysofomus cum suis.

§. 7. Nec hoc fatis erat. Populus noctu elapsus ex vrbe & profugus, in fyluis & campis, vbi securitatem sperabat, Festum Paschatis celebrare volebat. Postridie Imperator, vrbe egressus cum comitatu suo, animi causa, videns numerum *ter mille* hominum in campo, albis indutum, (multi inter eos erant Catechumeni, accepto baptismo stolis albis, vt tunc erat moris, adhuc induti,) & interrogans, quinam essent illi, responsum accipiebat a militibus custodibus suis, qui iram eius aduersus populum miserum incendere volebant: *Esse coetum Haereticorum.* Nec mora; mandante Imperatore, vt coetum hunc dispergerent, protinus inuolabant, non solum in Clericos, quorum alios comprehendebant, alios cingebant; sed & in mulieres Nobilium, quarum aliae comprehensae peplis & aurium ornamentis, vi auulsis, non sine sanguine, priuabantur; aliae permutatis cum ancillis vestibus militum manus efugere tentabant. Multi comprehensi & in carceres coniecti, ibi Pascha celebrabant. Adeoque carcer erat instar templi, in quo Deus colebatur hymnis, aliisque cultibus; Templum instar carceris, vbi saeuiebant Aduersarii contra innocen-

cen-

centes, vt abstinerent a Communione, Chrysoftomi, qui protinus haec omnia perscripsit ad Innocentium, Venerium, & Chromatium, Episcopos Occidentales; secutis paulo post Episcopis quibusdam a Clero & populo ablegatis Romam, qui hos furores Aduersariorum plenius referrent, ne & hi occidentales eorum calumniis deciperentur. Quin ita grassabatur furor Satanæ, homicidæ antiqui, & Patris Mendacii, vt ipse quoque Chrysoftomus in summo vitae periculo versaretur, clam occidendus a Sicariis, ab Aduersariis subornatis. Cum in aedibus suis, velut in custodia, degeret, reperiebatur ibiquidam, simulans phrenesin, & pugionem tenens in manu, quasi eum occisurus. Credebant Auditores, hunc esse ab Aduersariis conductum, & trahebant eum ad Praefectum vrbis. Sed Chrysoftomus missis ad Praefectum quibusdam Episcopis rogabat dimissionem illius. Verum quod opinabatur populus, id alius quispiam sceleratus verum esse demonstrauit. Presbyteri cuiusdam, *Elpidii*, famulus, teste Palladio & Sozomeno, *50. τομίσμασι* *particulis auri* conductus, ad perpetrandum id sceleris, tribus gladiis armatus, properabat ad Palatium Episcopi. Obuiam factus ex notis eius aliquis, rogabat, quo properaret; quem ille, nullo

da.

dato responfo lethaliter vulnerabat. Con-
citato tumultu accurrens populus perfe-
quebatur homicidam; Et poftquam ad-
huc alios feptem vulneraffet, quatuor,
mox eo momento extinctis, tribus reli-
quis vix demum curatis, comprehenfum
tradebat praefecto vrbis ad poenam or-
dinariam. Sed Praefectus populum in-
anibus promiffis demulcens, cum feruor
defuiffet, dimifit eum inultum. Haec
paffus eft Chryfoftomus, antequam fecun-
da vice eiectus in exilium iret.

§. 8. Cum instarent Aduerfarii apud
Imperatorem, & is Mandatum per fuum
Secretarium intimum ei mitteret, his ver-
bis: *Acacius, Antiochus, Seuerianus, Cyrinus,*
& qui consentiunt cum illis, tuam remotionem
defendendam susceperunt. Ergo abi ex Eccle-
sia, rebus tuis compositis & Deo commissis.
Statim paruit Chryfoftomus, & clam abiit,
quod factum est post ferias Pentecostales
A. C. 404. d. 20. Iun. Patienter propter
Christum abiit exulatum, quod osten-
dunt verba eius, quibus valedixit fuis, &
quibus solatus est seipsum. *Suis in ae-*
de supra dicta baptisterii, ad quam cum
illis audito Caesaris mandato se contule-
rat, his verbis: Eamus ad preces, vt ab An-
gelo Custode confortemur; peractis preci-
bus valedixit, cum osculo sancto non sine
lacrymis, affirmans, se breui tantum tempo-

re fore disiunctos. Deinde ad Olympiadem & alias Diaconissas conuersus aiebat: *Accedite Filiae meae, & audite quae sum dicturus. Ad finem, ut arbitror, perductae sunt res meae. Cursum meum consummaui, & forsan faciem meam amplius non videbitis. Quod vos rogo, hoc est, ne vestram erga Ecclesiam beneuolentiam solitam (seu curam) abiiciatis. Si quis inuitus ordinetur, & susceperit munus absque haesitatione, quod omnes iudicauerint suscipiendum esse, illi vos submittat, ut mihi fecistis, non enim potest Ecclesia esse sine Episcopo. Et sic misericordiam consequemini apud Deum. Mementote mei in precibus vestris.* Verba, quibus seipsum solatus est, cum exiret e Templo, (ipso recensente in Epistola 125.) haec fuere: *Vult me eici in exilium Eudoxia? Faciat quod vult. Domini est terra & plenitudo eius. Vult me frustratim concidi? Faciat me serra dissecari. Sic mortuus est Esaias. Vult me in mare submergi? Id euenit Ionae. Vel in Caminum ignis conici? Et comites habebō tres adolescentes (Danielis socios.) Vult me obici bestiis? Daniel quoque Leonibus est obiectus. Vult me lapidibus obrui? Fiat. Sic Stephanum habebō consortem. Quaerit caput meum? Auferat. Ioannes etiam amisit suum. Desiderat opes meas? Rapiat. Nudus egressus sum ex utero matris, nudus transibo. Verba sane memoratu digna, quae arguunt a-*
ni-

nimum patientem, Deo resignatum, & quaeuis dura paratum pati.

§. 9. Chrysofomo egresso & abducto, fores templi sunt occlusae, & ingens excitatus est tumultus in vrbe. Qui extra Templum expectabant e populo, pars oberrabant per plateas, pars ad portum maris currebant, ne abduceretur Episcopus, pars dubii circa euentum, & profugi extra urbem quaerebant Afylum. Qui intra templum erant inclusi, quaerebant exitum; & dum vi perumpunt fores, ignis in Templo exortus est (referentibus Palladio, Socrate & Sozomeno,) primum visus sub umbone. Quo subito correptum totum Templi aedificium in cineres redactum est, vna cum aliis in vrbe Palatiis, praecipuis Palatio Curiae, in quo multa antiqua sculptilia, (praesertim statuae nouem Musarum, a Constantino ex Helicone abductae,) igne sunt consumpta, exceptis Iouis & mineruae statuis, quae illaesae sub cinere repertae sunt. Incendii culpa ab aduersariis coniciebatur in amicos Chrysofomi, dictos, *Ioannitas*, quorum aliqui male habiti, varie vexati, & in exilium acti sunt. Olympias cum aliis nonnullis viduis eam ob causam in ius vocata, cum se pie defendisset, tandem post multa acerba ex vrbe relegata, abit Cyzicum, (quae est vrbs ad

ad

ad Hellespontum sita) inde ulterius Nicomediam in Bithynia, ex quo loco literis & opibus suis postea Chrysofomum, in Armenia refocillauit, tandem superatis omnibus afflictionibus placide ibidem obiit. Chrysofomo in throno Episcopali, successit *Arsacius*, eoque post sedecim menses d. 14. Nou. A. C. 405. mortuo, *Atticus*; *Flauiano* Antiochia defuncto *Porphyrius*, ab *Acacio*, *Antiocho*, & *Seueriano* per vim & fraudes intrusus, acerrimus Chrysofomi Aduersarius. Quibuscum Ioannitae communicare volebant, vtut iis omnibus promiscue in Clero & plebe, qui *Theophili*, *Attici* & *Porphyrii* sacra admittere nollent, per Edictum Caesareum remotio ab officio & subhastatio bonorum indicta esset. Innocentius comperto rursus Chrysofomi Exilio, per exules Episcopos rogatus, misit legatos cum literis suis & *Honorii Augusti*, ad *Arcadium Augustum*, vt conuocata in vrbe *Theffalonicensiū* Synodo Episcoporum Orientalium & Occidentalium causam Chrysofomi, & suorum amicorum, denuo examinari sine studio partium iuberet. Sed hi Legati circumuenti fraudibus Aduersariorum & *Eudoxiae*, in via male excepti, spoliati literis & argento, re infecta domum rediere. Sic Aduersarii aliquandiu triumphauit.

pha-

pharunt, Chrysofomo cum suis oppresso & patiente.

§. 10. Is interim per milites in Bithyniam, inde per Sebaſteam & Caefaream, (ubi a multis commiferabundis non vulgari humanitate exceptus eſt) tandem *Cucufum* in Armeniam delatus, in exilio ſuo conſtans in fide & doctrina Chriſti vsque ad mortem permanſit. *Cucufus* oppidum vile erat in Armenia, perinde vt *Arabiffus*, ubi poſtea quoque exulauit. Quae loca praeter ſterilitatem & inopiam etiam ab incurſionibus Barbarorum, nempe Iſaurorum, more Latronum non procul a monte Tauro viuentium, infeſtabantur. Chryſoſtomus tamen Deo prouidente ab Incolis huius loci haut vulgari beneuolentia exceptus & omnibus vitae neceſſariis reſectus, ſuperatis itineris moleſtiis, recuperata valetudine coepit iterum docere, & ſemen verbi voce & ſcriptis ſpargere eodem, quo antea, applauſu. Non enim ſolum Amici Conſtantinopolitani eum ſecuti, ſed & amici veteres Antiocheni, huc venientes, cum multis in vicinia piis viris & foeminis, eum viſitabant, Sapientiam & virtutes eius laudantes, ipſumque tanquam virum Dei colentes. In finibus Cappadociae & Ciliciae multi Epifcopi cum Aſcetiſ & virginibus Deo deuotiſ ei occurrentes, & malis eius

O

illa-

illacrymantes dixerant: *Satius esse, solem in firmamento non lucere, quam Ioannem non docere.* Adeo fauebant Doctrinae eius. Nec solum in Armenia, sed quoque in Phoenicia Gentilismum abolere, & Doctrinam Euangelii propagare studuit, missis eo viris idoneis, sponte se offerentibus. Atque his per seditionem ab Ethnicis occisis alios submisit succenturiantes. Praeterea multas scripsit Epistolas ad amicos, ad Innocentium, ad Olympiadem, ad Episcopos Presbyteros & omnes sui causa afflictos, quibus eos ad eandem, quam ipse habebat, patientiam & constantiam adhortatus est, & eodem, quo ipse fruebatur, solatio reficere voluit. Etiam libris scribendis operam dedit, & scripsit in Exilio aureum illum tractatum, *quod nemo laedatur nisi a seipso*, quem Olympiadi inscripsit. Et ut paucis dicam, adeo late iterum sparsa est fama doctrinae eius, & ita perculit Aures Adversariorum eius, ut rursus invidiae oestro perciti, (praesertim Porphyrius Antiochiae,) & misere timentes sibi ab eo, praesentiam eius in Armenia quoque ferre non possent, sed aliorum iterum translatum videre cuperent. Vlcus hoc invidiae tetigit *Georgius Alexandrinus*, ita scribens: *Videntes Antiochenos in Armenia, & inde rursus in Antiochia Ioannis gratam.*

Sapientiam depraedicare, ita cruciati sunt, ut mortem optarent, laudibus istis quasi flagris caesi. Τοῖστ' ἔτι γὰρ ὁ μισόκαλ' ἄφρον', Tanta enim erat invidia, quae bonum ferre non potest, ut qui Chrysofostomum sequebantur Clerici admirati dicerent: Ἴδετε νεκρὸν φοβερὸν, Ecce mortuum, qui timetur, qui viuentes & potentes in terrorem coniicit, quemadmodum μορμολύκεια inania terriculamenta pueros & Vab! illi qui brachium habent seculare & Ecclesiae diuitias, quibus quicquid libet licet, misere timent sibi ab uno Sacerdote, eoque inermi, infirmo quoad carnem, & in exilium acto. Licet enim adhuc viueret in exilio Chrysofostomus, ut diximus, morbis tamen saepe recurrentibus, metu Isaurorum, crebris locorum mutationibus in fuga, & aliis molestiis tantum non erectus erat.

§. II. Tandem & hoc obtinuere inimici apud Imperatorem, ut eum per milites deferri iuberet Pytiuntem, τόπον πανέρημον τῆς Τζάνων ἐπικείμενον τῇ ὄχθῃ τῆς Ποντικῆς θαλάσσης, locum desolatum Tzanorum, situm in litore Ponti extremo, & ultimis Romani imperii finibus, in vicinia ferocissimarum Gentium, vbi in itinere mortuus est. Praesagierat hoc in ultimis ad Innocentium literis, quarum initium est: Corpus quidem nostrum loco circumscribitur, anima vero alis charitatis per totum orbem volitat. &c. In calce solatur se charitate

Ο

Chri


Christiana Innocentii, & concludit his verbis: *Etiamsi in Angulum adhuc magis desertum delati fuerimus, nihilominus hoc solatio in afflictionibus nostris suffulti, ex hac vita placide decedemus.* Idem persentiscens ad Olympiadem & reliquos amicos scripserat, qui per suos in Aula pro ipso intercessuri, & commodiorem Exilii locum rogaturi erant, ne quid huiusmodi peterent. Milites ipsum deportantes, in via valde inhumaniter eum tractabant, fatentes sibi id esse mandatum, praemiis insuper promissis, vt quomodocunque possent, eum vexarent. Nihilominus inter inhumanos hos & truculentos reperiebatur aliquis humanus, qui afflictum subinde suis officiis iterum reficiebat. Cum aliquot dierum itineribus confectis, vbi noctu & interdium pluuiae, frigori & aestui & omnibus coeli incommodis corpus eius exposuerant, tandem venissent *Comanam*, (quae est vrbs Cappadociae, sita ad radices Anti-Tauri) nec in hac vrbe quandam ipsi refectioem concessissent; aegrum & infirmum porro secum rapiebant vsque ad locum precum, & tumulum Beati *Basilisci*, Episcopi quondam *Comanae*, qui *Nicomediae* in *Bithynia* sub *Galerio Maximiano* martyrium subierat, sepultus eo loco, vbi nonnulli solebant conuenire ad preces & memoriam Martyris.

§. 12.

1339

12. Hic finis miseriae & locus sepulturae ipsi diuinitus erat constitutus. Noctu enim cū obdormiisset, in somno visus est Martyr Basiliscus ipsum alloquens: *Confide frater, cras enim erimus una.* Idem martyr apparuisse dicitur Presbytero, qui sacra ibi administrabat, nocte praecedente, dicens: *Para locum fratri Ioanni, cras enim veniet.* Postridie surgens Chrysofostomus rogabat milites, vt secum ibi commorarentur vsq; ad meridiem, quod illi inhumanissime negabant, cogentes pergere in itinere infirmum. Sed cum pergentes sentirent ipsum magis infirmū fieri & morti vicinum esse, reuertentes reducebant eum ad hunc locum. Quo cum rediisset, albas poscebat vestes, quibus se induebat, suis exutis, & ministrantibus datis. Atque mox accepto Sacramento, praesentibus multis Monachis Virginib9 & aliis piis, qui magno numero ex Syria, Cilicia, Ponto, & Armenia, eo confluxerant, quasi diu nitus conuocati; & vltimis dictis precibus, quas consueta formula: *Gloria sit Domino pro omnibus, & voce Amen* obsignauit, placide exspirauit & in Domino obdormiit. Quod factum est d. 4. Sept. A. C. 407. cum vixisset in Mundo annos 52. menses 8. in Exilio annos 3. menses 3. in Episcopatu annos 9. menses 6. dies 16. Mortuus est *die exal-*

tationis Crucis, quam in tota vita patienter tulerat. Corpus eius a praesentibus piis postea honorifice sepultum est in sepulchro Martyris Basilisci. Atque sic tandem placide & beate obiit Vir hic summus, beatis Martyribus merito annumerandus, qui teste *Georgio δια τῆ ἐλευθερονομίαν*, propter *Parrhesiam in exilium pulsus est, & cum Martyribus olim coronabitur.*



CAP. VI.

DE IIS, QVAE POST
OBITVM EIVS CONTIGERE,
DEQVE ENCOMIIS EIVS
APVD POSTEROS IN
ECCLESIA.

§. I.

AVdita morte Chrysoftomi, *Innocentius* vehementer contristatus, *Honorius* indignatus, per literas rursus ad *Arcadium* suam displicentiam testati sunt, & ob oculos posita delicti gravitate *Arcadium*, *Eudoxiam*, & omnes Chrysoftomi Aduersarios, a Communionem Ecclesiae, vsque dum resipiscerent, segregandos statuerunt. Detestati etiam sunt facinus hoc Episcopi Europaei

paei & Illyrici. Scopus Romanae Eccle-
 siae hic erat, quod nollet communicare,
 cum Episcopis Orientalibus, donec con-
 gregata Synodo oecumenica sanata es-
 sent putrida ista membra, (Theophilus
 cum sequacibus) quae talia patrarant.
 Literae Innocentii, iubente Honorio ad
 Arcadium scriptae erant, (referente *Geor-
 gio*) hunc in modum: *Vox sanguinis Fratris
 mei Ioannis clamat ad Deum contra Te, Impe-
 rator, sicut quondam Abelis iusti contra fra-
 trucidam Cainum, & omnibus modis vindica-
 bitur. Verum non solum hoc fecisti, sed tem-
 pore pacis quoque persecutionem contra Eccle-
 siam Dei & Sacerdotes eius mouisti, eiiciens Io-
 annem, magnum orbis Doctorem, de throno E-
 piscopatus sui, sine legitimo iudicio, & una
 cum ipso persequens Christum. Nec doleo
 tantum eius vices, (sortem enim suam accepit
 cum sanctis Apostolis in Regno Dei & Saluato-
 ris nostri Iesu Christi) quanquam calamitas fu-
 erit fere intolerabilis; sed maxime coarctor
 sollicitus de salute animarum vestrarum, &
 illarum, quae priuatae sunt sapientissima eius
 & spirituali Doctrina & exhortatione. Non
 solum Ecclesia Constantinopolitana amisit do-
 num mellifluae eius linguae, sed totus Orbis lu-
 get amissum talem *εὐθεὸν* diuinum virum, id-
 que suafu vnius mulieris fieri concessum esse.
 Sed hanc poena manet hic & illic, post dies non
 multos abituram. *Beatus enim Ioannes, et si**

vitam hanc reliquerit, fidem retinens, & confirmans nutantes; Delicias tamen seculis ineffabilibus non terminandas & vitam immortalem haereditavit. Haec vero altera Delila, quae brevi tempore rasis nouacula sui erroris, multorum ora in sui maledictionem conuertit, & colligens onus peccatorum graue & portatu difficile, etiam hoc antegressis suis peccatis adiecit. Quare ego minimus & peccator, cui concreditus est thronus magni Apostoli Petri, segrego Te & illam a Communione impollutorum Mysteriorum Christi Dei nostri. Non hoc solum, sed & omnem Episcopum aut Clericum ordinis Ecclesiastici, qui ausus fuerit vobis Sacramentum Coenae porrigere, postquam legeritis hunc meum $\sigma\acute{\upsilon}\nu\delta\epsilon\sigma\mu\omicron\nu$. Si vero quemquam cogetis vi externa, & transgressi fueritis Canones traditos nobis a Salvatore & Apostolis eius, scitote & hoc non leue vobis peccatum fore in tremenda die Iudicii, ubi regia Dignitas non poterit quicumquam iuuare; illorum vero interiora (viscera) effusum iri in terram, in terrorem omnium. Arsacium vero, etiam post mortem remouemus ab Episcopatu, cum omnibus qui cum ipso communicarunt, ita ut nec nomen eius Diptychis inscribi velimus. Indignus enim est Episcopatu, quem illegitimo modo consecutus est. Omnis plantatio, quam non plantauit Pater noster coelestis, eradicabitur. Huic depositioni addimus quoque Theophili $\alpha\phi\omicron\rho\rho\rho\mu\omicron\nu\ \eta\ \alpha\nu\alpha\theta\epsilon\mu\alpha\tau\rho\mu\omicron\nu\ \eta\ \tau\epsilon\lambda\epsilon\acute{\iota}\alpha\nu$

εν ἀλλοτριώσιν & Χριστιανισμῶ, separatio-
nem anathematismum & plenam abalienatio-
nem a Christianismo.

§. 2. Hae sunt literæ Innocentii, prout
eae a Georgio, item Glyca & Nicepho-
ro, Scriptoribus mediae aetatis, sunt re-
latae. De quibus notandum, quod scri-
ptae sint ex iusta indignatione, re prius
deliberata cum Episcopis quibusdam Oc-
cidentalibus, in Synodo quadam, & con-
sentiente Honorio Augusto. Qui & ipse
scripsit ad Fratrem Arcadium haec verba:
*Nescio quaenam vis inimica te seduxerit, ut
mulieri tradens te, feceris ea mala, quae ne-
mo Principum Christianorum piorum fecit.
Omnes enim hic sancti Episcopi clamant con-
tra vestram administrationem regni, quod Le-
gatos Sanctae Romanorum Ecclesiae, ad hono-
rem vestrum, & concilii congregandi stabili-
mentum & confirmationem missos, diuersis
angustis & molestis custodiis inclusos fame
tantum non perire iusseritis. Nam non solum
eis negastis omnem humanitatem, dum ceu pe-
grinos non beneuole excepistis (quod nihil da-
mni Regno vestro allaturum fuisset, quin po-
tius Deus dona sua abundanter vobis collata,
aucturus, & a vestris delictis vos liberaturus
fuisset,) sed in super male & inhumaniter eos
tractare non dubitastis. Argentum, quod se-
cum tulere ad necessitatem corporis, ereptum
eis est iussu vestro, & fecistis eos contra vos su-
spirare*

Spirare ad Dominum Deum nostrum, non considerantes quod dicitur in Prouerbiis sapientissimi Regis: Noli dare occasionem homini maledicendi tibi. Suspiria enim cordis ipsius exaudiet qui formauit eum. Adhaec proprio Consilio & iudicio eiecisti, & alios Episcopos in thronum collocasti, honore Apostolico posthabito. Haec vero omnia apud Deum & homines non leue afferunt vituperium. Festina igitur non verbis sed re ipsa putrida membra sanare, & vindictae iustae de malignis sumptae nos omnes certiores reddere. Nosti enim precibus Sacerdotum pro nobis regna nostra perpetuo roborari.

§. 3. Acceptis his literis valde tristis factus Arcadius & resipiscens, iussit inquiri, an adhuc adessent in vrbe quidam ex Aduersariis Ioannis. Et cum forte adessent Menos, Theotecnus & Ischyrion, cognati Theophili, Acacius & Seuerianus, iussit eos custodiri, donec videret, quid de iis decernendum. Iussit etiam inquiri in eos, qui Episcopos Roma missos male exceperant, de quibus scripserat Honorius. Et re comperta, quod *Marinus*, qui Eudoxiae paruerat, cum liberis suis id fecerit, iussit eos decollari, & corpora de ligno suspendi. Omnes quoque consortes, siue cognatos eius, siue Reginae Ministros, iussit vel ab officio remoueri, vel bonis multari, vel

vel

vel plagis, tormentis & carceribus affligi. Eudoxia intra Conclauē se continuit, a nemine visitata, nisi a domesticis suis, & confusa prae moerore in morbum incidit, quem Medici vocarunt Haemorrhoeam. Tum respondit Innocentio Arcadius, his
„verbis: Omnes recte sentientes noue-
„runt, quae ex ignorantia facta sunt, ne-
„que Dei, neque Legum poenis subia-
„cere; neque quenquam pro altero sup-
„plicium pati debere. Unde haec scri-
„psi, vt certiozem te facerem, Pater, atte-
„stante mihi benignissimo Deo, me plane
„ignorasse ea, quae uestris Episcopis &
„clericis acciderunt, & huius criminis re-
„um non esse. Simul atq; ea comperi, vl-
„tus sum in iis, qui male fecerunt Vestris,
„quod Deum non latet. Et hoc sane
„non fecissem, si conscius fuisset. Quod
„vero contigit Ioanni beatae memoriae,
„Episcopo Constantinopolitano, nostra
„culpa non contigit, sed Episcoporum
„dicentium, quod quaedam in Ecclesia
„innouare voluerit contra Canones Sy-
„nodi Nicænae, & propterea remotione di-
„gnus sit, recipientium culpam remotio-
„nis super caput suum. Quorum verbis
„ego persuasus putauī propter vnum ho-
„minem non esse scindendam Ecclesiam,
„neque distrahenda membra eius. Si
„qui propterea separandi sunt a Commu-
„nione,

„nitione, illos oportebit separari, qui ἀνα-
 „νοήτως contra Canones fecerunt, quod
 „ausi sunt contra eum. Nos vero, men-
 „tibus Sacerdotibus, & Veritatem re-
 „iicientibus, quid peccauimus? &c.
 „Quod super est, consolabitur nos ite-
 „rum Tua sanctitas, nec indignos iudica-
 „bit consortio Gregis Christi, & Commu-
 „nionem Sacro Sancti corporis & sanguinis
 „Christi. Licet ἀνάγκης sine culpa permi-
 „serimus id fieri, veniam tamen petimus,
 „ubi peccauimus. Si rursus necesse sit nos
 „castigari morbo quodam ad emendatio-
 „nem delictorum nostrorum, nec hoc
 „deprecamur, sed libenter sustinebimus
 „castigationem Domini, non deficientes.
 „Quem enim diligit Dominus, eum casti-
 „gat, ut ait Apostolus. Saltem ne priue-
 „mur Symbolis Dominicis. De Filia vero
 „Tua Eudoxia notum sit tibi, Pater, eam
 „iam accepisse retributionem delictorum
 „suorum, non exiguam, inde quoque prae
 „afflictione & moerore morbo grauissimo
 „correptam esse. Quare ne separes eam
 „a sanctis Mysteriis Dei Saluatoris nostri,
 „neque pluribus modis affligas. Non
 „enim bis percutiet Dominus delictum
 „vnum. Ad eundem modum scripsit Fra-
 „tri Honorio, ad impetrandam ab Inno-
 „centio solutionem vinculi.

§ 4. Resipiscentiam hanc & humilita-
 tem

tem admiratus Innocentius recepit eos in
 Communionem, misso *Proclo*, Episcopo
 tunc *Cyzicensi*, qui *Arcadium* cum *Eudo-*
xia absoluit, & Sacramento *Coenae Do-*
minicae refecit, & solatus est additis his li-
 teris : *Suscepi vestrum Studium secundum*
Deum, quod propter nomen eius demonstrastis,
soluti igitur vinculis sacris accedite ad Symbola
Dominica reconualescentes. Iubete nomen
Ioannis Sacris inscribi Diprychis ; aequum enim
est non priuari Ecclesiam Nomine hoc memoriae
digno. Theophilo vero scribite, paratus sit ve-
nire ad Concilium iussu Dei futurum oecume-
nicum, in vrbe Thessalonicensi, quae sita est in
medio nostrum & Episcoporum orientis. Ipse
enim, εἰ τῷ θεῷ φίλον ἐστὶ, si Deo gratum est,
ad hanc Synodum veniam, & quae ab ipso Φο-
νικῶς & ἀκανονίως violente & contra Cano-
nes acta sunt contra Ioannem Isidorum & ali-
os Ascetas, examinantes, monstrabimus ei, ha-
bentes αὐθεντίαν Autoritatem Petri sancti A-
postolorum Προκρίτου, quomodo ipsum oportet
at fieri Θεοφιλῆ, & μὴ μαλεΐσθαι ὅ ἄν ἔσιν,
Deo charum, nec dici quod non est. Deus ser-
uet liberos vestros. Valere vos semper in Do-
mino precor. Visis his literis gavisus
est Arcadius, & sine mora scripsit Theo-
philo : Omnia Orbis Climata turbasti, & Sa-
cerdotes concitans Dioecesis tuam tibi vendi-
cas, non cogitans, Te dexterarum diuinae & no-
strae subiaccere iurisdictioni, cuius alterutrius
roborem

robur non effugies. Cum itaque ea, quae a Te ausa sunt, examinanda & vindicanda sint, praepara Te, ut breui adsis in urbe Thessalonicensi, & cum complicibus ibi iudicium subiturus recipias in sinum tuum, si quid secundum Canones iustum inuentum fuerit. Iussis ergo nostris obtemperans, neque corporis infirmitatem, neque loci intercapedinem praetexens, Alexandria egressus eo proficiscere, ut omnia à Θεός sine Deo abs Te acta Deus per nos vindicet. Ad has angustias redactus Theophilus misit Cyrillum cognatum suum ad Isidorum & alios Monachos in monte Nitria, quos antea afflixerat, deprecaturum & rogaturum, ut pro ipso intercederent. Sed non opus fuit intercessione, Innocentio paulo post mortuo, & Synodo non coacta. Adeoque Theophilus subterfugiens iudicium Ecclesiae militantis, reseruatus est iudicio diuino.

§. 5. Interimplerique inimici Ioannis vel insolitis morbis castigati, vel morte praematura abrepti sunt. *Eudoxia* tres adhuc menses post obitum Chrysofomi vivens, incidit in morbum, ut dixi, acutissimum, quo mortua est. *Zonaras* refert, eam doloribus partus correptam, infante in utero mortuo & computrescente, miserrime extinctam esse. *Arcadius* paucis post Ioannem mensibus quoque defunctus est, annos natus 31. in optimo aetatis flore.

Annal.
Tom. 3.
P. 32.

flore. *Cyrinus* Episcopus Chalcedonen-
sis, non minimus Chrysofomi hostis, su-
bito morbo correptus & extinctus est.
Maruthas læserat calcans pedem eius, qui
protinus Gangraena correptus resecandus
fuit. Sed Gangraena latius serpens to-
tum corpus infecit, praeprimis alterum
pedem, qui perinde resectus, sed *Cyrinus*
nihilominus breui post inter dolores in-
tensissimos mortuus est. *Antiochus* & *Seue-
rianus* subita & mala morte sublatis sunt.
Alii feбри hectica, vel insolitis æstibus &
doloribus intestinorum; Alii morbo hy-
dropico; alii chiragra afflicti sunt, cruci-
atibus digitorum, quibus remotionem
Ioannis subscripserant. Alii magnis in-
flammationibus & vlceribus, tetrum odo-
rem exhalantibus, & putredinem ac ver-
mes generantibus; Alii Dispnoea &
omnium membrorum luxatione aegrota-
runt. Quidam noctu terribilibus phan-
thasiis acti, ex aedibus prorumpentes, per
plateas vagantes, ceu canes ulularunt,
ceu pugiles strictis gladiis insanierunt,
quasi hostem depulsuri. Nonnemo
ex equo delapsus, fracto crure protinus
expiravit. Alius elinguis iacuit in le-
cto 8. menses, manum ori admovere
non valens. Alius febricitans intume-
scente lingua loqui non potuit, per literas
sua desideria indicans, aperte quoque per
eas

eas suam culpam fassus. *Theophilus* post annos quinque mortuus est *Lethargo*, iuxta alios, *Calculo* A. C. 412. Nec in agone constitutus expirare potuit, nisi postquam allatae *Chrysoptomi* imagini honorem exhibuit, si vera sunt, quae *Damasceus* affert ex *Libro Isidori Diaconi*, [de *Imag.* L. 3. p. 784.] Tam manifeste se nonnunquam exerit diuina *Nemesis* in terrorem aliorum, ut omnes praetereuntes legere & dicere possint: *Ecce! Deus reuera est Iudex Mundi.*

§. 6. Sic mortuis oppressoribus oppressa in *Chrysoptomo* & amicis eius veritas paulatim iterum emerfit, & pax rediit in *Ecclesia*, sicut praedixerat *Ammonius*. Primo *Nomen Ioannis* inscriptum est *Diptychis*, [erant tabellae instar libri compactae, quibus inscripta erant nomina *Episcoporum* & *virorum* de *Ecclesia* optime meritorum, ex altera parte defunctorum, ex altera uiuorum, ad conseruandam *Doctrinam* & *memoriam eorum*] quemadmodum vrserat *Innocentius* cum *Episcopis Occidentalibus*. Initium inscriptionis fecit *Antiochiae Alexander* successor *Porphyrii*, communicans cum *Occidentalibus*. Secutus est *Atticus*, *Episcopus Constantinopolitanus*, populo id flagitante consulens *Imperatorem Theodosium iuniorem*, qui respondit, *Nibil in eo esse*

esse periculi, si ad seruandam pacem in Ecclesia Viri defuncti nomen infereret Catalogo. Quo accepto responso id fecit, & persuasit Cyrillo, Successori Theophili Alexandriae, vt idem faceret. Qui Antecessoris sui opinionibus imbutus aliquandiu recusauit, Atticum in suas partes pertrahere allaborans; Tandem urgente Isidoro Pelusiota annuit, & meliora monentibus cesfit. Erat enim animo quoque satis vehemente, sed magis candido & aequo quam Theophilus. Sic vbique recepto Chrysofomi nomine etiam Doctrina eius in Ecclesia recepta est. Deinde Proclo in thronum Episcopi Constantinopolitani collocato, quocum Ioannitae, qui haectenus separatos coetus fecerant, iterum communicarunt, etiam dissensio sublata, & vnitas Ecclesiae restituta est. Hic cum quotannis die, quo obierat, in memoriam eius sermonem haberet ad populum, & populo instigante Imperatorem rogaret, vt permitteret reliquias Chrysofomi reduci, & solenniter sepeliri in Templo vbi docuerat; Non solum permisit Theodosius, sed ad eas reducendas ablegauit viros graues, & nauem quoque emisit ad recipiendas & transferendas illas. Navem hanc Caesaream comitabatur aliae, tanto numero, vt aequor Propontidis fere navigiis stratum uideretur. Et hic rursus aliquid admiratu dignum accidisse testantur Hi-

P

sto.

storici. Abductis Comana ex Cappadocia reliquiis Chrysoftomi, & in nauem receptis, subito orta in mari tempeftas totam Classem disiecit. Nauis cum reliquiis appulsa est ad locum Vineae, quam eripuerat Eudoxia Viduae, cuius patrocinio Ioannes primam Eudoxiae offensam incurreret. Hic sedata tempeftate, classis recollecta perrexit Constantinopolin, & reliquiae cum feretro suo primum in Templum S. Thomae deportatae, deinde in Templum S. Irenes, tandem in Templum S. Apostolorum delatae sunt. Accedens Imperator Theodosius cum sorore Pulcheria virgine, purpuram suam super loculum posuit, dolens virum hunc male habitum esse. Quo facto, ritibus consuetis sepultura peracta est, & reliquiae in choro ante mensam S. Coenae ad requiem suam repositae sunt, A. C. 438. annis post exilium eius triginta quinque. Sic demum liuor post fata quieuit, & memoria huius viri iusti, haecenus oppressa, iterum cum Doctrina eius refloruit, & in perpetua benedictione, non solum in Ecclesia Constantinopolitana, quae singulari pietate Theodosii & Pulcheriae sororis tunc eminuit, sed & alibi permansit.

§. 7. Laeta haec catastrophe & admirandus ductus Prouidentiae diuinae effecit, vt scripta eius diligenter collecta
mul-

multos inuenerint Lectores & Discipulos; qui cum laude mentionem eius facientes, vitam cum scriptis eius ad posteros quoque transmittere & in perpetua memoria conservare studuerunt. Primus mentionem eius publicam fecit in scriptis suis

Hieronimus, nominans eum *Ioannem, Presbyterum Antiochenum*, qui ipso mortuo annis 13. mortuus est Bethlehemi in Palaestina. Deinde meminit eius quoque

Augustinus, vocans eum *Ioannem Episcopum Constantinopolitanum*, qui 23. annis post obitum eius mortuus est. Scripta eius vterque in pretio habuit. Hieronimus

Epist. II. ad Augustinum allegat locum quendam Scripturae ab ipso explanatum. Augustinus refert eum inter *Sacerdotes diuinorum eloquiorum explanatione clarissimos*, & Pelagianis scriptis eius abutentibus respondet: *Vobis nondum litigantibus ille securius locutus est.* *Socrates, Sozomenus, Theodoretus*, Autores *Historiae Tripartitae*, qui paulo post tempora eius vixerunt, & pleraque de vita & rebus gestis eius tradiderunt, non sine encomiis eius mentionem faciunt. *Socrates* ait, eum

doctrina & eloquentia floruisse. *Theodoretus* totos quinque libros in laudes eius scripsisse perhibetur, quorum argumenta

Photius exhibet, vocans eum *μέγαν τῆς οἰκουμενῆς φωστῆρα*, *magnum orbis lumen.* Ab

Isidoro Pelusiota dicitur *vir ἁγιότατος*

doctrina & eloquentia floruisse. *Theodoretus* totos quinque libros in laudes eius scripsisse perhibetur, quorum argumenta

Photius exhibet, vocans eum *μέγαν τῆς οἰκουμενῆς φωστῆρα*, *magnum orbis lumen.* Ab

Isidoro Pelusiota dicitur *vir ἁγιότατος*

In Catalogo Ecclesiast. Scriptor.

l. 2. contra Iulian, Pelag.

l. 6. c. 7.

Hist. l. 5. c. 27. Ep. 152. 156.

Praef. in
opp. eius

*diuinus, & Oculus Ecclesiae Byzantinae, imo totius. Sophronius eum vocat aureum ore & lingua, in Epist. Synod. apud Photium. Et inditum hoc nomen Chrysofomi satis in-
nuit, quanto in pretio a posteris sit habi-
tus. Iure optimo ob sapientissimam eloquen-
tiam & eloquentissimam sapientiam oris au-
rei cognomen ipsi tributum esse, ait E-
rasmus, sed quando ei tributum sit non-
dum satis constat. Certum est, Scripto-
res primae aetatis, quotquot eius memi-
nere, non alio quam Ioannis nomine eum
insignire. Sed apud Scriptores mediae
aetatis, vtpote apud Sophronium, Photi-
um, Leonem Imperatorem, seculo nono,
in Oratione, in laudem eius habita, co-
gnomen hoc reperitur. Vnde verifimi-
le est, post aliquot demum Secula a po-
steris in Ecclesia cognomen hoc ipsi indi-
tum fuisse; maxime cum viderint, aemu-
lum eius Antiochum Ptolemaidis Episco-
pum a Sozomeno sic vocatum recenseri,
potiori iure id nostro competere existi-
marunt. Adeo grata apud posteros fuit
eius memoria, vt nomen eius, in vita exo-
sum, post obitum honorifico hoc enco-
mio sit ornatum, quod & aliis summis vi-
ris in Ecclesia obtigisse novimus.*

§. 8. Inter Scriptores Vitae eius, prae-
ter iam memoratos Autores Historiae
Tripartitae, praecipuus fuit *Palladius*,
Episcopus Helenopolitanus, Discipulus,
Ami-

Amicus, & imitator eius, qui propter ipsum in exilium quoque pulsus est Syenam, Urbem in finibus Æthiopiae sitam. Is in *Dialogo*, quem cum Theodoro Ecclesiae Romanae Diacono habuit, totam vitae eius Historiam optima fide descripsit. Hunc post aliquot secula secutus est *Georgius Patriarcha Alexandrinus*, cuius libellum de vita Noſtri suo tempore vidit *Photius* & licet certi quid de Autore non habuerit, Episcopum tamen Alexandriae fuisse testatur. Fatetur *Georgius*, se ex scriptis *Palladii* & *Socratis*, & ex relationibus fidelium Sacerdotum & laicorum piorum suam Historiam concinnasse. Repetit hoc *Photius*, aiens, Episcopum fuisse *Palladium*, & διαλογικῶ τύπῳ καλῶς ἢ ἐσπασμένως stylo dialogico bene & diligenter conscripsisse Historiam Chrysoſtomi. Addit tamen: ὁ συγγραφεὺς ἔτι & ἄλλὰ ὀλίγα φαίνεται παρρησιάζων. ἀλλ' ἔτι κωλύει τὰς ἀναγνώσκοντας ἐκλεγομένῳ τὰ χρήσιμα, τὰ λοιπὰ παρρησιάζων. *Scriptor hic non pauca videtur dubia fide referre. Sed id non prohibet, quo minus Lectores utilia eligant, caeteris relictis.* Anonymus quidam post *Georgium*, (qui ex huius scriptis suam quoque confecit Historiam,) affirmat eum τὰ σχέδια, *Schedas* *Cyrilli* post multos annos inuenisse, & ex iis quoque suam de *Chrysoſtomo* Historiam contexuisse. Quod an ita se habeat, suo

relinquitur loco. Caeterum *Nicephorus* hunc *Georgium* inter Patriarchas Alexandrinos collocat post *Iohannem Cyprium*, 50. annos post Synodum quintam, A. C. 553. habitam. Vnde liquet eum sub initium *seculi septimi* vixisse, Ecclesia Alexandrina forsan tunc sub iugo Saracenico gemente. Hinc non mirum, eum Sedi Romanae praerogatiuam concessisse, & multa de miraculis & apparitionibus suae de *Chrysofomo* Historiae intexuisse, quae *Photius* merito inter fabulosa & superstitiosa refert, tunc temporis in Ecclesia paulatim subrepentia, cum *Chrysofomus* ipse pasim fateatur, miracula suo tempore iam defuisse in Ecclesia. Reliqua tamen, quae attulit ex *Palladio* & *Socrate*, fide digna sunt, & merito tanquam utilia eligenda propter concinnam Historiae seriem. Ex hac *βιογραφία* *Georgii* reliqui mutuati sunt, quicquid postea de *Chrysofomo* scripsere. Nempe *Leo imperator*, qui imperare coepit A. C. 886. *Anonymus*, siue Autor incertus, qui uixit sub Imperatore *Constantino Porphyrogenneta* A. C. 950. & *Symeon Metaphrastes*; Quorum Biographias Graece edidit, & Scriptis *Chrysofomi*, 8. Tomis comprehensis, octauo Tomo subiunxit *Etonae* in Anglia A. C. 1612. *Henricus Sauius*. Atque ex huius Tomis hausta sunt, quae in praesenti nostro

nostro

nostro opusculo de Vita & Doctrina Chrysofomi attulimus.

Conclusio ad Lectorem beneuolum.

Haec si recte perpenderis, beneuole Lector, nobiscum fateberis, sicut initio diximus: Deum hunc *sanctum suum admirabilem fecisse*, *Θλίψει Θεατριζόμενον*, per afflictiones quasi in Theatro collocatum, ut Doctrina eius purgata & probata tanto plures ferret fructus, quanto latius foret sparsa, & quanto auidius a posteris lecta. Nicephorus ait, se scripta eius plura quam mille legisse, a teneris iis delectatum esse, & eisdem omnes suos profectus debere. Suidas Libros Sex de Sacerdotio omnibus aliis praefert ob Eruitionem & styli elegantiam atque sublimitatem; His adiungit Commentarios in Psalmos & 4. Euangelistas; Reliquos ait esse innumeros. Idem alii fatentur scriptorum eius Lectores & Encomiastæ, etsi quidam subrepente abusu, & superstitioso cultu *Sanctorum*, imo *reliquiarum* & *imaginum* eorum in Ecclesia, (quem ipse suo tempore detestatus est,) nimii fuerint in laudibus eius, & eas tribuerint, quas ipse uiuus recusaturus fuisset. Licet quoque scriptis eius non pauca spuria sint admixta, non tamen genuinis propterea laus debita erit neganda, praesertim cum ea summo iam studio virorum do-

sup

P 4

cto-

etorum seculo nostro sint eruta & in lucem protracta.

Ex horum igitur Tomis quod *Vitam* & *Doctrinam* Chrysofomi in hoc opusculo Tibi breuiter exhibeamus, laborem non inutilem esse speramus. Quantum ad *Doctrinam* attinet, cuius specimen de praecipuis fidei Articulis ex Tomis eius excerptimus, licet in nostris Ecclesiis hoc tempore clariori luce gaudeamus, (duobus primariis articulis de iustificatione & sanctificatione multo dilucidius quam Patrum tempore explicatis;) Eam tamen cum nostra conferre, vt sicubi defecimus, nos corrigamus, sicubi vero profecimus, Deo gratias agamus, non inutile erit. Praesertim explicationes Scripturae Sacrae, in quibus olim laudatus est Chrysofomus, adeo vt Anonymus scribat, *Ecclesiam suo tempore Chrysofomi interpretationem aliorum Patrum interpretationibus praetulisse*, licet nostro tempore inter Theologos facile pares, imo superiores habeat, dum impleta Scriptura sensus eius nobis redditus est in aliquibus multo quam antea fuit clarior; Eas tamen cum nostris conferre & charismata Spiritus Sancti varia & multiplicia obseruare non inutile neque iniucundum piis mentibus fore confido.

Vitam vero quod concernit, ex ea statum Ecclesiae isto seculo colligere, indeque

que

que se contra miseriam nostri temporis solari iuuabit. *Primo* enim contentiones, dissensiones & persecutiones piorum in Ecclesia semper fuisse iuxta praedictionem Apostoli I. Cor. II, 18. 19. docet nos exemplum Chrysofomi. Veritatem parere odium, odium diffidia & persecutiones; & has pati eos qui secundum Spiritum viuunt, ab iis qui secundum carnem viuunt, seipfos separant, spiritum non habent; testatur cum Sacra scriptura quotidiana Praxis Mundi. Quod si haec contigere *seculo aureo Patrum* (vt dicitur;) Quid mirum eadem fieri nostris temporibus, vbi crescente luce verbi creuit inobedientia, Hypocritis, malitia & abusus verbi ac contemptus securissimus. Ergo ne offendamur praesentibus scandalis, sed manentes in via veritatis quotidie Deum precemur, vt inoffenso in ea pede progrediamur. *Deinde* Persecutores piorum & Hypocritas contentiosos non manere impunitos, & semper grauiora sequi mala, idem exemplum docet. Multos enim ex aduersariis Chrysofomi tragica morte periisse, testatur Historia Ecclesiastica. Et quomodo postea Ecclesia Orientalis, cum Episcopi sequentibus seculis pergerent se inuicem persequi, (quod in certaminibus Nestorianis, Eutylianis & Monotheleticis fa-

P. 5. *Etum*

Etum est,) tandem ex iusto Dei iudicio in manus Saracenorum hostium truculentissimorum tradita sit, eadem docet Historia. Vbi tunc mansit primatus Ecclesiae Alexandrinae, quem Theophilus quaesivit, & aliorum idem quaerentium in Ecclesia praecursor fuit? Evanuit & in fumum abiit, iuxta Regulam diuinae iustitiae perpetuam: *Qui se excollit, humiliabitur.* Idem iudicium & alii subiere, & adhuc subire cogentur.

Tertio videmus veritatem in Ecclesia, plerumque mansisse penes oppressos, non penes oppressores. Sic Chrysostronus cum suis oppressus & patiens retinuit veritatem, quam amittere Aduersarii persequentes, externis ritibus & inani virtutum larua decepti. Ergo ne deprecemur Crucem, neue contemnamus membra Christi in Mundo pressa. Vniuersalis enim est Regula S. Pauli: *Omnes qui pie viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Quam omnes omnium temporum fideles suo Exemplo comprobant & adhuc comprobant. Denique videmus veritatem pressam semper clarius resplendere, & persecutiones esse, tanquam nubeculas transeuntes, quibus dispulsis redire solet serena tranquillitas in Ecclesia. Id factum hic est sub Imperio Theodosii Iunioris, qui vere gessit titulum consuetum, *pri & felicitis*, & semper

Au-

Auguſti. Sub eo enim rediit Vnitas Eccleſiae, & Chryſoſtomo redditus eſt debitus in ea honos. Suaviſſima eſt prophetia Eccleſiae data Mich. 4, 7. & Zephan. 3, 19. *Ecce ego conficiens ero omnes oppreſſores tuos in tempore iſt hoc: Seruabo autem claudicantem (ouem) (πεπλιεſμένην pedibus conculcatam) & impulſam (ἀπωſπυμένην, abactam, extruſam) congregabo, ponamque eas in laudem, & in nomen, in omni terra pudoris earum.* Hanc Prophe-
tiam in Chryſoſtomo impletam eſſe non negabit, qui quae poſt obitum eius contigere, perpendet. *Poſitus enim eſt in laudem, in nomen, in omni terra pudoris ſui, vbi antea ignominia affectus erat.* Antiochia, Constantinopoli, imo Alexandriae, receptus in Diptycha, ſeu Catalogum Doctorem de Eccleſia bene meritorum, & poſtea adeptus cognomen *Chryſoſtomi* vel *aurei oris*, cum Doctrina ſua apud poſteros haecenus ſemper floruit in Eccleſia. Et hanc promiſſionem etiamnum implebit in omnibus preſſis Eccleſiae ſuae membris, & Miniſtris qui propter nomen eius laborantes & patientes, fidem & ſpem firmam retinent vsque ad finem, Saluator noſter benigniſſimus, IESVS CHRISTVS, cui
cum Patre & Spiritu S. fit Gloria,
in ſempiterna ſecula!

AMEN.

IN-



INDEX

CAPITVM ET RERVM.

CAP. I. *De ingenio, studiis & moribus eius in iuuentute.*

Prooemium, de admirando ductu Prouidentiae Dei, in vita Chrysoftomi. §. 1.

Patria, locus & tempus natiuitatis eius. §. 2.

Parentes & educatio eius. §. 3.

Ingenium, & studia iuuentutis. §. 4.

Mores & amici. §. 5.

Vita Ascetica. §. 6.

CAP. II. *De Vocationibus eius ad officia Ecclesiastica.*

Primum Diaconus Antiochiae fuit. §. 1.

Deinde Presbyter ibidem. §. 2.

Homiliae eius, praesertim de staruis. §. 3.

Tandem Episcopus Constantinopolitanus. §. 4.

Vocatio diuina & successus bonus. §. 5.

Benedictio diuina in laboribus officii. §. 6.

Protectio diuina contra aduersarios, Eutropium.

§. 7.

Contra Gainam. §. 8.

Contra Theophilum, qui expulerat Manochos. §. 9.

Contra alios Episcopos aduersarios & calumniatores. §. 10.

Synodus ad quercum, & primum eius exilium.

§. II.

Re-

INDEX.

Reuocatio & alterum exilium, cum admirandis
eventibus, in quo tandem mortuus est. §. 12.

CAP. III. *De Doctrina & Fide eius.*

Specimen Doctrinae iuxta Symbolum Nicaenum
de principalioribus Articulis. §. 1.

Artic. I. *De Deo eiusque Essentia.*

Quod sit

- (1) Spiritus. §. 2.
Huius fidei articuli Praxis. 3. & 4.
- (2) Spiritus aeternus. 5.
Huius Articuli Praxis. 6. & 7.
- (3) Vnus Essentia, Trinus Personis. 8.
Contra Anti Trinitarios. 9.
Huius Articuli praxis. 10.
- (4) Creator, Conseruator & gubernator totius
mundi. 11. Vbi Articuli
 - (a) De Creatione. 12.
Huius Praxis. 13. & 14.
 - (β) De Creatione Angelorum inuisibili-
um. 15.
 - (γ) Hominum visibilium. 16.
 - (δ) De Prouidentia. 17.
Circa malum. 18.
Huius Articuli praxis. 19.

Artic. II. *De Christo Redemptore.*

- (1) De vera Christi diuinitate, & aeterna Generati-
one. 20.
Contra Hostes diuinitatis Christi. 21.
Praxis huius Articuli. 22.
- (2) De statu Exinanitionis Christi.
 - (a) De Incarnatione & uera humana Na-
tura eius. 23.
Quod propter nos fit homo factus. 24.
Praxis huius Articuli. 25.
 - (β) De Passione & morte Crucis & ultimo
Exinanitionis gradu. 26.
Quod passus fit pro nobis. 27.
Praxis huius Articuli. 28.

(3)

INDEX.

- (3) De statu Exaltationis Christi.
(α) De Resurrectione eius. 29.
Praxis huius articuli, 30.
(β) De Ascensione ad coelos & Exaltatione ad dexteram Patris. 31.
Praxis huius articuli. 32.
(γ) De Intercessione Christi. 33.
Praxis huius articuli. 34.
(δ) De Regno Gratiae per totum Orbem dilatato & dilatando. 35.
Praxis huius articuli. 36.
- (4) De Aduentu Christi ad extremum iudicium & Regno Gloriae. 37.
De futura ante illud Conuersione Gentium. 38.
Etiam Iudaeorum. 39.
- Artic. III. De Spiritu S. Sanctificatore.**
- (1) De Spiritu S. vera Deitate & Homoufia. 40.
De eius Donis varie distributis. 41.
(2) De Spiritu S. viuificatione, seu opere sanctificationis vel conuersionis. 42.
Quod operetur veram resipiscentiam & fidem. 43.
Et fructus bonorum operum. 44.
(3) De Ecclesia. 45.
(4) De Mediis ordinariis Conuersionis, Verbo & Sacramentis. 46.
(α) De Sacramento Baptismi. 47.
(β) De Sacramento Coenae Domini. 48.
(5) De tribus Hierarchiis, & aliis ordinibus in Ecclesia eorumque officiis. De officio Magistratum. 49.
De officio Ministrorum verbi. 50.
Item Auditorum. 51.
Item Coniugum. 52.
De mutuis officiis vicinorum & temperantia Linguae. 53.
De officiis Ascetarum & coelibum. 54.
De precibus pro omnibus, etiam inimicis. 55.
(6) De

(6) De Nouissimis. De morte, & statu animarum post mortem. 56.

De Resurrectionis futurae solatio. 57.

De eius certitudine. 58 & 59.

De Mundi interitu & Gehenna. 60.

CAP. IV. De Virtutibus & Aduersariis eius.

Vita eius sancta, & descriptio corporis. §. 1.

Fuit sedulus & assiduus in docendo. 2.

Diligens & accuratus in meditando. 3.

Temperans in cibo & potu. 4.

Liberalis & misericors erga pauperes. 5.

Zelus eius pro Gloria Dei & salute animarum. 6.

Fuit in eo ἀπροσωπόληπτος & constans. 7.

Applausores & Amici ac Discipuli eius. 8.

Aduersarii eius, & horum Conspiratio. 9.

Theophili fraudulentia Sophistica. 10.

Eius iniquitas erga Ammonium & reliquos Fratres μακρὰς, quos expulit. 11.

Futilia ἐγκλήματα contra Chrysostrumum in Synodo ad quercum. 12.

Chrysostrumi ad Synodum citatio, & Episcoporum eius responsio. 13.

Item Chrysostrumi pro se responsio. 14.

Eius depositio illegitima, & persecutorum crudelitas. 15.

CAP. V. De Patientia, Constantia & beato eius obitu.

Fuit patiens in Aduersis §. 1.

Colloquium eius cum Episcopis suae dioeceseos ante primum Exilium. 2.

Constantia in docendo & arguendo post reuocationem ab exilio primo. 3.

Disceptatio de duobus Canonibus Concilii Antiocheni, contra Chrysostrumum in Synodo altera. 4.

Quid Chrysostrumus sit passus ante alterum exilium tempore Quadragesimali. 5.

Ca-

INDEX.

- Catechumeni die Parasceues in Ecclesia ad baptismum congregati a militibus noctu irrumpentibus propter Chrysostrum dispersi. 6.
- Tria millia Auditorum eius postridie in campo quoque dispersa, & Aduersariorum saeuitia. §. 7.
- Chrysostrum verba, quibus suis valedixit, & se solatus est, cum secunda vice in exilium iret. §. 8.
- Incendium ortum post eius eiectionem & aliae persecutiones fidelium, ac mutationes in Ecclesia. 9.
- Refectio eius Cucusi in Armenia, & constantia in fide & Doctrina. Aduersariorum Inuidia. 10.
- Vltima eius persecutio, vbi Pytiumtem deferendus in itinere mortuus est. 11.
- Mors & sepultura eius prope Comanam, 12.
- CAP. VI. De iis, quae post obitum eius contigere, Deque Entomiis eius apud Posterum in Ecclesia.**
- Litterae Innocentii, quibus Arcadium & Eudoxiam a Communionem S. Coenae exclusit. §. 1.
- Litterae Honorii ad Arcadium, 2.
- Resipiscentia & Responso Arcadii. 3.
- Eius in communionem Receptio & litterae ad Theophilum. 4.
- Aduersarii Chrysostrum variis morbis & tragica morte extincti. 5.
- Chrysostrum in Catalogum recte docentium Receptio, & reliquiarum eius translatio & sepultura in aede sacra, in qua docuerat. 6.
- Chrysostrum Memoria apud posterum, & cognomen *aurei oris*. 7.
- Vitae eius scriptores. §. 8.
- Conclusio ad Lectorem beneuolum, de scriptis, Doctrina & vita eius.

S. D. G.

Bioge and 2

Biog. cr. D 2511 ²/₁

